BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
40 H
11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

53.5.26.
53

IACOBI GORSCII PRO TREMENDA ET VENERANDA TRINITATE, ADVERSVS QVENDAM APOſtatam Francken, falsò appellatum Chriſtianum, Apologeticus, ſiue Antichriſtianus.

Sancta Eccleſia Romanæ iudicium eſto, in qua, & pro qua militamus.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
Anno M. D. LXXXV.
Cum gratia & Priuileg. Cæſar. Maieſtate

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
8 40 H 11
Coll. Rom. Inscr. ...
40

EPIGRAMMA PRO REVERENDI, ET DISERTISSIMI VIRI IACOBI GORSCII Apologia.

ELoquio, ſacriſq; potens Orichouius armis
Abripuit collum, Stancare vane tuum.
Tullius en alter, facundo Gorſcius ore
Apparat exitium perfide Francke tibi.
Stancarus Arctois profugus conſederat oris,
Hac quoque Franck tandem conſtitit exul humo.
Ille ſacrum Auſonijs numen destruſerat aris:
Abdicat hic Regno, vi ſpoliatque ſua.
Laſerat ille pias inhoneſto vulnere mentes:
Subſecat hic ſummo brachia bina DEO.
Ambo pares animis par impar ludere ſueti,
Efſera ab ambobus, parta Chymera fuit,
Sic iecur amborum, fœcundaque viſcera pœnis
Vultur ceu Tytion, roſtro inhiante premet.
Grandius obque ſcelus, ſcyllas tibi Francke biformes
Sæpè ſub aſpectum Rex Acherontis aget.
Fœlices igitur, qui has ſternunt ore Chymeras,
Immota his ducibus, ſtatque, manetque fides.

Andreas Eumorphus
Clogouienſis.

AD SERENISSIMVM REGEM POLONIAE, MAGNVM DVCEM LITHVVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MAZOVVIAE, Samogetiæ Livvoniæ, &c. Tranſſiluaniæ ducem Stephanum Bathoreum ſemper victorem, Iacobi Gorſcij in ſuum Apologeticum Paræneticá præfatio.

MVLTA ſunt equidem, quæ à Regibus, rerumq́; publicarum principibus viris, Sereniſſime Rex Stephane, depoſci ſoleant: Multa multi in eorum officio philoſophantur, vt multorum magni ingenij, & maximæ authoritatis ſcriptorum, & veterum illorum, quorum ſapientiam mundus miratur, & recentiorum, qui veteres in eo genere diſſerendi, ſedulo ac magna cum dexteritate imitantur, ſcripta & libri docent, quorum ſententias apud te ſapientiſſimum, & omni genere literarum, omniumq́; diſciplinarum præceptis inſtructiſſimũ Regem, referre, operæ pretium non fuerit, cùm nihil tale inde proferri queat, quod

De principũ officio diſputatio varia.

Eruditio Regis Stephani & ingenij vis.

eruditionem tuæ maieſtatis fugiat, quodq́; tu & ingenio tuo iſto diuino non comprehenderis, & ſtudio aſsiduo non quæſieris, et rebus gerendis, Regno adminiſtrãdo, totoq́; vitæ tuæ curſu non ad viuum exprimas, eiuſq́; Regis, cuius formam & ſpeciem veteres animo comprehenſam, ſuis præceptis effictam nobis relinquere contenderunt, noſtros ante oculos, veris coloribus expreſſam, non ſtatuas, vt non tã illi te ſuis diſciplinis, quem te Regem eſſe oporteat, inſtruant, quàm tu eos, qualẽ deinceps pingere, quibuſq́; artibus, quibus virtutibus inſtructum, & muneribus exornatum principem effingere debeant, exemplo tuo moneas. Multorum principum res geſtas legi, quorum virtutes, induſtriam, ingenij acumen, & in rebus gerendis moderationem, & prudentiam, cæteraſque virtutes dum confero tecum, planeq́; te in Regio munere obeundo nemini illorum cedere, plurimos ſuperare vi‐deo, adeo vt non dubitem, quod alibi etiã teſtatus fuerim, naturam ipſam cùm te procrearet, optimi & perfecti, omnibuſq́; numeris abſoluti Regis exemplum effingere in te voluiſſe: & cùm ijs ipſis, qui de

Régis boni exemplar, Rex Stephanus.

Cõparàtio.

Natura in Staphano quid egerit

Regijs

Regijs muneribus & officijs Philoſophã-tur, certaſſe: & quod illi verborum ſuorũ pingentes ſimularent, re ipſa viuiſq́; coloribus in te expreſſiſſe, monuiſſeq́; Regem, non ſolum præceptis hominum fieri, ſed naſci etiam oportere: quod cùm ita ſit, ſi de officio tuo Regio Sereniſſime Rex nunc Philoſophari, & quæ & veteres, et recentiores de hoc genere officij ſenſerint, quidúe præceperint, pluribus referre vellem, cum ratione equidem inſanire viderer, et ocio meo, ſtudioq́;, auribuſq́; Maieſtatis tuæ, abuti merito iudicarer. Quamobrem Philoſophorum doctorumqúe virorum de Regio officio, præceptis, inſtitutiſqúe prætermiſſis, vnum te, pientiſſime Rex, non tua quidem vel incuria, vel ignoratione vlla prætermiſſum, ſed vt iudico conſultò aptiori tempori reſeruatum, à cæteriſqúe tuis curis, & occupationibus infinitis ſepoſitum, vt maturius aggrediaris, à te petã. Quod dũ facio, pro tua ſingulari benignitate, mihiq́; ſæpius probata bonitate, vt æquiore aĩo feras, maiorem in modũ rogo: Non.n. vel ambitiõe aliqua ſcribẽdi, vel libidine, tui incliti Reip. noſtræ moderãdæ conſilij reprehendẽdi ad ſcribẽdũ, et te cõ-

Vtrũm ne Rex fiat, an vero naſcatur.

Dilata Religionis Catholicæ recuperatio.

Cur ſcribat author.

 monen-

monendum acceſsi. Verumenimuerò, DEI optimi Maximi iniuria grauis, ac filij ſui vnigeniti, ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti contumelia inſignis, & in Spiritum ſanctum non ferenda blaſphemia, etiam non ſatis idoneo tempore ſcriptis noſtris legendis, cauſaq́, quam apud maieſtatem tuam defero, cognoſcenda interpellandi te neceſsitatem mihi attulit. Agitur pientiſsime Rex ſalus vitaq́ue omnium noſtrûm, totiusq́ue cui munere diuino præſides Regni incolumitas in periculum adducitur, prouocatur Deus impietate noua, ſceleratorũq́ue hominum blaſphemia doctrinarum inauditarum, in hoc tuo inclyto Regno proſeminandarum: fideq́, catholica, non iam in parte aliqua commutanda, ſed tota planè abolenda, Machometiſmoq́ue inſtituendo, vt furorem ſuum illum iuſtum in nos ſtillet, non enim iam de Ceremonijs, vel abolendis, vel immutandis conſilia ſuſcipiuntur, ſed ipſa veneranda & tremenda Trinitas miris modis blaſphematur, fundamentũq́ue totius religionis noſtræ conuellitur. Quod ſcelus non minus in eos, qui hæc conſilia ſuſceperint, doctrinamq́ue tam abominan-

Hæreſis noua.

Francken quid moliatur.

ominandam propagarint, ſed etiam in illos ipſos, qui cum poßint, ei ne fieret, obſiſtere, tamen vel negligunt, vel ſe ſcire diſſimulant, iram Dei prouocat. Non minus enim qui impia patrant, quàm, qui cum ſint poteſtate prohibendi armati, non prohibeant tamen, ſe ſcelere obligant. Graues equidem pœnas Heli ſacerdos, quòd filiorum petulantiam, legiſq́ diuinæ & religionis contemptum nec inhibuerit, nec punierit, vno eodemq́ momento & filios perdidit, & ipſe periit, ſacerdotiiq́ dignitate poſteritatem priuauit: non quòd ille eius filiorum impietatis aut petulantiæ author eſſet, ſed quòd authores eius filios pœnis debitis non cohiberet, impietatemq́ue illam, quam illi apertè, & populo reclamãte patrarent, diſsimularet. Qui etenim ad huiuſmodi facinora cõniuẽt, qui peccantibus frenos non inhibent, præſertim verò cùm debeant & poßint, incitare facientes, eorum quæ alii patrant ſcelerũ authores eſſe iudicantur: vnde fit, vt quẽadmodum alienæ culpæ affines eſſe videantur, ita & alieni peccati pœnas ſæpè luant. Nam vt ſacrorum librorum exempla prætermittam: Iulius Cæſar, quoni-

Duo genera iniuſtitiæ, alterũ eorum, qui ipſi patrãt, alterũ qui non prohibent.

Exẽpla nõ prohibitæ impietatis.

Aliena peccata.

hil mundo charius fuerit, qui orbem terrarum, vt armis, ita gratia expugnauerit, vitijs et ebrietate familiarium, audacia & ſceleribus Marci Antonij & Dolabellæ diſsimulanda, & non refrenanda, tantum in odium incurrit, tantam inuidiam in ſe hominum concitauit, vt à familiariſsimis, ſuiq́; ſemper obſeruantiſſimis miſera cæde conficeretur. Non enim illi ipſi, qui vim hominibus inferebãt, qui libidinibus ſuis omnia fœdebant, qui ebrij in omnes inſaniebant, iniuriam populo facere videbantur, ſed ipſe Cæſar, qui pro ſuo imperio & deberet & poſſet inſolentiam illorum inhibere, neglexerit, Et Philoſophum quendam magni nominis legimus, non puerum petulantem, ſed magiſtrum eius, petulantiam pueri non caſtigantem et diſſimulantem, ſcipione, quo greſſus ſuos firmaret, percuſſiſſe. Frequens equidem eſt, vt aliena peccata nobis pudorem & incutiant, & pericula procreent. Cum igitur, Sereniſsime Rex, Deus omnium miſericordiarum pater, te vnum inter principes ſummos omnium digniſsimum iudicauerit, teq́ue vt Dauid filium minorem reiectis cæteris

Iulius cur occiſus.

Diogenis factum.

Aliena peccata.

Stephanus alijs antipoſitus.

teris

teris fratribus, Regno huic, quod tua virtute, & tuis laboribus ex amplo ampliſſimum reddis, nomen eius et opes propagas, praeeſſe voluerit, tibiq́ue vni & fortunas noſtras, vitam noſtram, ſuamq́, gloriam & honorem, cuius es zelator, tuendum commiſerit, cauendum equidem tibi, & aduigilandum eſt, ne aliena peccata te obnoxium irae DEI reddant, & vel neglectae gloriae Dei, vel iniuriae blaſphemiaeq́ue reum conſtituant. Non profero exempla inſignium Regum, taceo Saulem & alios, qui quod iniuriam Dei negligerent, honorem eius caeteris poſthaberent, & ipſi poenas graues dederunt, & Regna amiſerunt, familiaſq́ue ſuas euerterunt. Graue certe crimen eſt, magna impietas, gloria Dei, religioq́, eius neglecta. Vicina certe Regna ſatis docent, quàm grauiter Deus ſuae religionis contemptum puniat, & non ſolum in authores impietatis, ſed etiam in totas regiones, ac earum moderatores Regeſq́, ipſos animaduertat, quod equidem ita eſſe, tu ipſe, Sereniſſime Rex, teſtaris, ac nullum grauiorem tibi dolorē accidere poſſe, quàm quem neglecta religio pietasq́, conculcata tibi afferat, vel ge

Sauli Regnum ſciſſū.

Neglecta Religio.

Dolor Regis Stephani.

nitu tuo demonſtras. Nam quidquid apud nos in hoc genere fit, non tua culpa fit, noſtra iſta libertas effrenis menſq́; nonnullorum euerſa religionem Chriſti Ieſu turbat, perditorum hominum, & ex omnibus regionibus eiectorum audaciam auget, dum eos pro ſua libertate recipit, tuetur, & ornat, qua noſtra libertate perditi homines ſic efferuntur, & efferantur, vt in Dei faciem tremendam ſpuant, ac horrendas blaſphemias vomant, quam licentiam vt aliquando comprimas, & furori hominum perfugarum, toto orbe proſcriptorum, impietatis & blaſphemiæ in Deum damnatorũ, ignibus & ſupplicijs deuotorum, Regiam tuam authoritatem, coronæqúe tuæ Maieſtatem vt opponas, cauſamqúe Dei patris, filij eius vnigeniti Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri, et tui regni autoris, & ſpiritus ſancti ſuſcipias, & officium tuum poſtulat, & nos qui Dei tam acerba iniuria cruciamur, rogamus. Nihil dico de illis, quæ Regnum ante te Regẽ inuaſerunt hæreſibus, diuturnitas temporis leuius hoc malum reddidit: Obturauimus aures ad illa, vel quod iam vſitata ſint, vel quod in eodem fundamento Apoſtolo-

Cauſa neglectæ Religionis.

Peregrinorum hæreticorum mores.

ſtolorum & Prophetarum, Chriſto Ieſu nobiſcum ædificant, & ſi non eadem. Illi enim paleam, lignum & lutum ſuperſtruxerunt, nos Aurum & Gemmas: illorum ſtructuram, ignis, qualis quàm caduca & inanis fuerit docebit, noſtram vt Aurum probatam & ab omni contagione vicij purgatam, perpetuòque ſplendentem reddet. In eodem igitur, vt Paulus ait, fundamento Chriſto Ieſu nobiſcũ, paleam ſuam illi ædificant, Chriſtum Ieſum mediatorem Dei & hominum confitentur, quod fundamentum firmum eſt, præter quod aliud nemo ponere poteſt: ædificium ipſum, ſtructura ipſa, quæ huic fundamento ſuperædificatur ab illis, palea eſt, cœno multo impiæ doctrinæ illita, quam ille extremi iudicij ignis exuret, opuſque illorum, quale, quamque fundamento indignum fuerit, demonſtrabit, quæ quidem ſtructura impia quamuis nõ ferenda ſit tamen vel temporum iniuria, ne dicam inſania, eam ferre didicimus & ad eius dolorẽ occalluimus, confœderationibuſq; nouis eã cõmuniuimus. At nũc noua proluuies diffunditur, noua inſania, nouũ & inauſũ omnibus hæreticis ſcelus

Hæreticorũ ſtructura.

Fundamẽtũ fidei & ſalutis.

naſci-

naſcitur, non palea illa, non lignea ſtructura fundamento noſtro ſuperponenda
Fräckẽ q͂d moliatur.
agitur, ſed fundamẽtum ipſum Chriſtus Ieſus, via, veritas, & vita noſtra tollitur non modò diuinitate illa ſua paterna & hæreditaria, ſed etiam officio illo, quod pro nobis ſuſcepit, legationeq́; à Deo patre acceptа, expoliatur, mediator Dei & hominum eſſe negatur, ſpiritus ſanctus ne aſpirare quidem ad diuinitatis poſſeſſionem
Deliriũ Frãcken.
permittitur; Deus pater, non iam pater, ſed ens primum, hoc verò fuerit gentiliũ delirium, appellatur, perſonarum diuinarum & numerus & nomina, vel confunduntur, vel omnino tolluntur, tremenda,
Blaſphemia.
& veneranda Trinitas, idolon horrendũ, & idololatrarum commentum eſſe, & omnium inter Chriſtianos de Religione, quam inconſtantiſſimam, errorumq́; plenam eſſe clamant, contentionum diſcordiarumq́; fons aſſeritur, quod monſtrum, inquit iſte nequam, niſi tollatur, niſi explodatur, concordiam in religione nullam
Noua Hæreſis.
vnquam fore: noua hæc eſt hæreſis, imò noua & inaudita blaſphemia, nulliqúe qui Chriſtiano nomine cenſeri vult, ferenda, ignibus vltoribus abolenda, & non in in-

ſulas

ſulas, ſed in ipſum orcum releganda, cui vel huic vni, vt authoritatem ſuam oppo- nas, ne eam radices in tuo inclito Regno hoc agere patiaris, Sereniſsime Rex, per i- pſam tremendam & venerandam Trini- tatem, Maieſtatem tuam precamur, & obteſtamur. Hoc vnum eſt, quod à te peti- mus, hôc cuius cauſa in tantis Reipub. no- ſtræ Regniq; ſalute conſtituenda occupa- tum, & tot tantiſque curis politicis im- merſum interpellamus. Hanc vnam orbi toti non ferendam, & vndique ſcopis pro- fligatam, flammis dandam, vt nouam hæreſim, & abominandam blaſphemiam à Regno tuo, Maieſtateque tua amoueas precamur. Hac enim blaſphema hæreſi in tuo Regno vigente, iram Dei in nos prouo cabimus, ſupplicia gladiumque vindi- cem hoſtium non effugiemus; ac vt Iſraël perfidus & legis deſertor in Babyloniam ſedibus ijs eiecti, libertate omni exuti, nõ modò hominum impiorum, ſed etiam dia- boli mancipia facti, traducemur, vende- mur, elocabimur. Tantam etenim contu- meliam ſuam, tantam blaſphemiam De- us pater non perferet, qui nos quantum nobis curæ ſit ſua gloria ſuusque ineffa-

Quid Gorſcius à ſuo Rege petat.

Pericula quæ ferat hæreſis noua.

bilis

bilis honor, immiſſo ſcelerato homine probat, vt ſi ſui amantes inuenerit, illis quæ nobis per filium ſuum æternum promiſit, honoribus & præmiјs nos exornet, & benedictos in regnum ſuum, quod ab initio nobis parauit euocet: ſin gloriam ſuã neglexerimus, vt nos omni honore expoliet & expoliatos ſedibus noſtris, quas blaſphemos homines inquinare mendacijs & contumelijs in ſe patimur eijciat in miſeramque ſeruitutem abduci iubeat, quod ne accidat, tuæ Maieſtatis, Sereniſſime Rex, partes ſunt. Tu clauum huius noſtræ nauis, quæ tot tantiſq; blaſphemorum & perditorum hominum tempeſtatibus ac ventis agitatur, & in omnes hæreticorum ſcopulos, Scyllas, & Charibdes infertur, tenes, tuum eſt, & ventis iſtis obſiſtere, & nauem noſtram in portum illũ pietatis & Chriſti adducere. Tibi Paſtori grex Polonus tuendus & paſcendus cõmiſſus, tu lupos, fures, latroneſque arceas neceſſe eſt, ne perditarum ouium de manu tua ſanguis à Deo rationem imperij tibi concrediti repoſcente exquiratur. Hoc, ne te Sereniſſime Rex, non monerem, officium meũ fidelis tui ſubditi, non patiebatur,

Car nos Deus probat.

Nauis Religionis.

tur, hoc vt facerem, iuſiurandũ & fides mea, tuaq; Serenitatis inſignium virtutum ſingularis amor & obſeruantia mea conſtans & perpetua vrgebat. Quamobrem rogo, vt meæ huic etſi intempeſtiuæ, non tamen ab officio alienæ ſolicitudini; ignoſcas: cupio Sereniſsime Rex Stephane, abſque vlla exceptione te ab omnibus bonis laudari virtuteſque tuas toto in orbe diffundi, pietatemque tuam excellentem paſsim lucere, illiſque Regibus, qui, quod pietatis & religionis & tuendæ & propagandæ cauſa, magnas res geſſerunt, & multa ardua tentarunt, cognomentum inuenerunt, vt aut Chriſtianiſsimi aut Catholici dicantur, non modò exæquari, verumenimuerò anteferri: non alterum tantum hoc nomen, ſed vtrũq; ad te merito tuo transferri cupio; aut pro vtroq; te pientiſsimum, fideique Catholicæ patrẽ cognominari exopto. Vt quemadmodũ inſignis virtus tua; Regiũ nomen ac dignitatẽ tibi pepererit, ita religio à te defenſa, et ſuum in locũ, vnde impiorũ hominũ inſolẽtia deijciatur reſtituta, et ſua dignitate ornata glorioſũ nomẽ Cur Regẽ ſuũmonuit Gorſcius. Studium Gorſcij, ergá ſuum Regem. Carolus Magnus Franciæ Ferdinandus Hyſpaniarum Reges.

tibi

Stephanus Rex Vngariæ Chriſtianus.

tibi pariat; teqúe in numerum Diuorum referat, Stephanoqúe illi ſanctiſſimo Regi, qui primus in Vngariam veſtrã Chriſtum Ieſum manu ſua apprahenſum introduxit, ſathanæqúe tyranno Regnum abrogauit, Chriſtianos Vngaros ꝑ idololatris reddidit, pari pietatis honore cumulet, vt quòd ille in Vngariæ Regno cognomentũ quæſierit, tu in Polonorũ Regno cõſequaris. Et quidem ſi ad hæc premia caduca, huiuſque ſeculi gloriam animos referamus, parem te illi ſanctiſſimo Regi in hoc genere honorum decernimus: ille Vngariæ, tu Poloniæ Regnum, vterque virtute ſua & ſapientia diuina conſecuti eſtis. Cæleſti gloria ille ſuperior, qui vt hic inter mortales Regnum tenuit, ita inter immortales cũ Chriſto Ieſu regnet, cui in hoc quoque comparando Regno ne cedas, vt qui illi quidem hîc par fueris, in cæleſti illa gloria pari honore fruaris, contende.

Cõparatiõ.

Regnũ terrenum gradus ad cœleſte.

Hoc Regnum tuum terrenum, ſit tibi gradus ad illud æternum, vt hæc quam geſtas corona moleſtijs plena, in illam æternam ab omni inuidia & curis liberam tibi commutetur, tuus iſte fluxus honor, ſtabilis et ſempiternus fiat, vt Regnum tuum non

ſcin-

ſcindatur, ſed cœleſti corona exornatus ſolidatur. Regnauit hic Stephanus Vngariæ Rex, regnat cum Chriſto in cœleſti gloria, caduca corona eius in æternā verſa, caput eius illuſtrat: hoc modo Sanctus & Deo dilectus Dauid, hoc alij pietatis et legis Domini amatores regnant, cum quibus et inter quos, vt tu quoq; Sereniſsime Rex regnes, contendere debes, quod vna hac ratione conſequaris, ſi ita hoc tuum caducum Regnum inſtituas, & gubernes, vt tecum in eo Chriſtus Ieſus regnet, ſi religio eius in eo vigeat; ſi fides Catholica ſuum ius retineat, ſi ſathan ſe in eo non iactet. ſi peſtem ſuam hæreſes blaſphemiaſque radicari non permittatur; Regnum Chriſti Ieſu & Dei ſumus, Chriſtus in nobis regnet, regnabit autem ſi fides ſua integra, ſi vera pietas, exploſis hæreticorum figmentis, et ſathanæ venenata doctrina viguerit, ſolidaque permanſerit, quæ vt permaneat, tuæ partes ſunt, tuum hoc munus proprium & præcipuum eſt, tibi ſuum Regnum, tibi ſuam gloriam, ſuum gregem, populumque multum, vt Salomoni ſapientiſsimo, dominus Deus commendauit, te inter nos ſui loco poſuit, per te fidem

Reges Pij de regno terreno in cœleſte trāſferuntur.

Regni cœleſtis comparatio.

Chriſtus vbi regnat.

Rēges locū Dei tenēt.

ſuam, quæ eſt eius regnum, integram conſeruari vult, à cuius voluntate diſcedere, eiuſque præcepta negligere, quam periculoſum ſit, Saulis exemplum, & aliorum multorũ Regum docet, qui dũ ſoli terreno Regno ſtudent, dum abſque Deo ſui honoris authore dominari contendunt, & hæc mundi amiſerunt imperia, & à cæleſti illo æterno excluſi, ſathanæ, quem Deo neglecto, & à ſuo regno amoto conſortem ſibi aſciuerant, cuius artibus imperium & propagare, et firmum æternumque reddere ſe poſſe, ſtultè crediderint, æternũ cruciandi, dati, vt quem ſibi ſponte ſocium & imperij conſortẽ hic elegiſſent; eũ tyrãnũ inuiti ferant, eiuſq; calamitoſi Regni participes ſint. Eſt .n. Deus zelator, nõ vult gloriã ſuã alteri dari, nõ vult ſua munera ad hoſtẽ ſuũ transferri, q̃ qui ab eo accepta in alios trãsferũt, irã eius in ſe prouocãt, ac omni honore exſpoliant, ſibiq; ipſis interitũ accelerãt; quorũ tu, ſapientiſſime Rex, vt caſũ extimeſcis, ita à rationib. illis, q̃bus illi in regnis ſuis, et imperiis exercendis abuterentur, fugis; et ad eorum exemplum, qui cum Chriſto regnarunt, totum te componis, regnumque tuum hoc

Sine Chriſto regnare quàm periculoſum.

Deus zelator.

Stephani Regis prudentia.

cui

cui præſides Chriſti Ieſu, non tuum, reddi toto ſtudio contendis; iuſtitiam inſtituendis iudicijs publicis tãquam exulem in ſuas ſedes reuocas, hoſtem à ceruicibus noſtris, magnis tuis laboribus repellis, pacẽ & tranquillitatem nobis, etſi inuitis ne dicam ingratis reſtituis: quæ omnia firma æternaq; nobis manebunt: Cùm fides illa Catholica, in qua nati, in qua baptizati ſumus, religioq; auita eis integrè adiuncta fuerit, iuſq; ſuũ pulſa hæreſi, integrũ quaſi poſtliminio receperit, quod vt recipiat, tuam operam implorat, à te præſidia poſtulat, tuam manum, qua prehenſa in ſuã Eccleſiam reducatur, prehenſat, quã tu, Sereniſsime Rex, cum iuri ſuo reſtitueris, & hoc cui nunc præſides, Regnum tibi roborabis: Et illud æternũ, in quo Stephanus veſter, vna cum Dauid regnat, conſequeris, vtq; æternus Rex ſis efficies. Chriſtus Ieſus, quem tu participem, & conſortem tibi fide Catholica reſtituenda facis, te illius æterni à patre Deo electis ſuis parati participem & conſortem ſuum reddet, coronamq; verè auream & radiantẽ capiti tuo diuino, & illic imponet, & hic hoſtes inimicoſq; tuos pedibus ſubijciet tu- Præmia religionis defenſæ.

is? Regnum tuum hoc florens & fœlix efficiet: tibiq́; vitæ & imperij dies promouebit, ac planè beatum reddet: nomenq́; tuũ æternitati ſacrabit. Cur autem, sereniſſime Rex, ita ſedulò agam, cur te adhortãdo diútius quàm & naturæ tuæ bonitas, & pietatis in Deum ardor tuus poſtulet. Horrenda blaſphemia, inaudita hæreſis, nuper quidem huic tuo inclito Regno immiſſa, ſed quæ radices iam agat; & vt cancer ſerpat, non paucorumqúe mentes inficiat, cauſa eſt. Cui morbo niſi authoritate tua Regia medicina admoueatur, niſi membra ea peſte infecta igni vrantur, ferroq́; reſecentur, totum corpus inficiet, omnium mentes euertet, religionem omnem, fidemqúe in Chriſtum Ieſum, quod ſe facturum profitetur, exterminabit: & Chriſti, tuumq́; regnum, ſathanæ & tyranni Francken reddet, quam ſcelerum flammam, quòd creſcere, quòdq́; toti Regno incendium inferre videam, continere me non potui, quin Maieſtatem tuam tot tantisq́; Reip. conſtituendæ curis obrutam, et litteris meis ante, & nunc hoc ſcripto meo interpellarem, flammæqúe naſcẽtis, & totum regnum petentis, iram Dei

Adhortationis cauſa.

in nos

in nos commouentis admonerem: Cuius ratio hæc eſt: Chriſtianus quidam cognomento Francken, natione Germanus, è ſchola illa diuinitus his temporibus inſtituta, quam Maieſtas veſtra maximi facit, & omnibus modis promouet, Ieſu ſocietatis, Romæ vbi ſe decennio ſtudijs & pietati operam dediſſe ipſe teſtatur, elapſus, pia doctrina illa, & tota Romana fide dãnata, in ſcholam & diſciplinam Caluinianam ſe coniecit: Vbi cum illi non liceret contra venerãdam Trinitatem, quæ vellet, animoque cõcepta coqueret, elatrare, alias ſectas, aliaq; dogmata in tota Germania & regionibus Galliæ explorat: & num ſit aliqua hæreſis, cui blaſphemiam ſuam in Deum Trinitatemque tremendã tutò concrederet, perquirit, quam eius inſaniam, cùm nemo probaret, omnes verò abominarentur: ac niſi taceret, ſententiamque ſuam mutaret, ſupplicia & ignes minarentur, finibus ſuis, ne impietate eius pollueretur, eum exterminarent; alij verò ad ſupplicium perquirerent. Cùm nõ haberet, vbi non ſolum ſuum dogma explicaret, blaſphemaſque voces in Deum effunderet, ſed etiam vbi tutò vel vnum

Chriſtianus Francken. qui ſit.

 diem

diem conſiſteret, libertatis noſtræ in illa fuga recordatus & confœderationis aduerſus veram & catholicam religionem, quam Romanam eſſe profitemur, in hoc Regnum ſe recepit, & flãmis Gallicis Germanicíſq; elapſus, Cracouiam primùm, quòd ſuæ doctrinæ nõ diſsimiles quoſdam hîc eſſe audiſſet: deinde Lublinum ad eos, qui Trinitarij ſiue Trideiſtæ vocantur, ſe recepit, cum quibus ſuas blaſphemias dum confert, quòd altiùs progreſſus videretur Chriſtumq́; pœnitus abnegaret repudiatus, iterum Cracouiam recurrit, conſilio cuiuſdam Alciati Itali, toto orbe terrarum cum Gentili Valentino proſcripti, librum ædit, in quo ſuam doctrinam, quam nuſquàm vendere potuit, recitat: ac totã venerãdam Trinitatem impudentiſsimè blaſphemat; religionem Chriſtianam inconſtantiſsimam omnium religionum, & Idololatrarum figmentum, errorum plenam vocat: Trinitatis dogma, ipſamque Trinitatem idolon horrendũ eſſe clamat, totoq́; orbe Chriſtiano exterminandum eſſe ſuadet, quòd illud eſſet cauſa, & fons omnium inter Chriſtianos diſcordiarũ, & alia infinita, vt inſanus canis elatrat.

Francken vndiq; eiectus in Poloniã inuaſit.

Francken à Trideiſtis eijcitur.

Doctrina Francken.

Quem

Qem librum eius, cum legerem, non tam hominis inſani, quam noſtram temeritatem deplorare cœpi: interitumq́ Regni in limine ipſo iam adeſſe, iudicaui. Qui enim Regnum hoc conſiſtere queat diutius, tot tantiſq́ iniurijs Dei oneratum, tamq́ impiè & impudenter in Deum ipſum, in quo ſumus, viuimus, mouemur, blaſphemias indies profundens, nemine non modò nõ prohibente, moleſteue ferente, ſed etiam plurimis applaudentibus, muneraq́ blaſphemis hominibus decernentibus, domos ſuas certatim inuitantibus. Probauit Dominus Germanos, probauit Gallos per hunc quem nos in vlnis geſtamus, ſceleratum hominem Francken, qui etſi multum à Catholica fide deflectant, & ſuper fundamento Chriſto Ieſu ſalutis noſtræ, paleam lutumq́ exſtruant, tamen ſcelerati iſtius blaſphemias, nec audire potuerunt, atque vt Atheum ſedibus ſuis eiecerunt, non dubitantes, quæ ira Dei, quæ ſupplicia, calamitateſq́ eis impenderent, niſi maturiùs ſcelus hoc tantum eijcerẽt: quæ mala nobis, qui eam peſtem admiſimus, qui blaſphemum hominẽ recepimus, qui dogma eius aut probamus, aut non

Finis deſtrucq Fräckea.

A Gallis & Germanis eiectus Fräckea.

Quæ mala impendãt Polonis.

prohibemus, impendent. Non ferret Deus pater, tantam ſuam, ſuiq́; filij vnigeniti Chriſti Ieſu, & ſpiritus ſancti iniuriam: Non ferret in ſe blaſphemiam, commutabit noſtram iſtam, effrenatam libertatem, in acerbam ſeruitutem, tradet nos in manus tyranni, vt Graciam, vt alias prouincias tradidit: etſi enim longanimis eſt, diutiusq́; ſuas contumelias ferre ſoleat, impietatem tamen & ſcelera, quæ ad ſummum peruenerint, ferre non poteſt, vltor ſiquidem Deus eſt omnis impietatis: quod cum viderem tacetibus alijs, quibus alia quàm religionis cura potior ſit, te, Sereniſſime Rex, de tanto Regni periculo certiorem facere volui, vt & tu ipſe tanto ſceleri maturiùs occurras, & eos qui religioni tuendæ præſunt, officij ſui commoneas, vt ſi non totam illam, quam tueri debeant, fidei profeſſionem retineant, fundamentum tamen eius immotum manere curent: alia alij in religione damnant, alia immutant, Francken fundamentum eius agreſſus Trinitatis dogma exterminat, Chriſtum & diuinitate & mediatoris officio ſpoliat, ſpiritum ſanctum blaſphemat, totius Trinitatis nomen abolet,

Exempla Regionū.

Negligētes religionis, officij admonendi.

Cōparatio Francken cū cęteris hęreticis.

hoc verò eſt, euerſa fide Catholica, ad Machometiſmum nos euocat, et cum Machometo exterminare Chriſti nomen contendit: ac ſalutis noſtræ fundamentum ſubuertit. Aliud eſt illud certamen de aqua aſpergenda, Sale benedicto, indulgentiarum abuſu, cæteriſque cærimonijs, quibus ſpiritus ſanctus, qui nos omnem docet veritatem, Eccleſiam ſuam adornari docuit, alia contentio noſtra eſſe debet pro ipſo fundamento: quo euerſo nomen Chriſtianum euertatur, totaq́ memoria eius extinguatur neceſſe eſt: in hoc fundamento Paulus vitam noſtram, iuſtitiam noſtrã, gloriam noſtram conſiſtere clamat, nullum eſſe nomen ſub cœlo teſtatur, per quod nos ſaluos, fieri oporteat, præter Chriſtũ Ieſum, qui vnus ſit mediator Dei & hominum. Hoc igirur fundamentum ſalutis noſtræ eſt, hoc nobis erepto, nihil eſt quod amplius ſperemus: nihil quod credamus: nihil quod vllam religionem colamus, erepto nobis Chriſto, omnia nobis eripiantur neceſſe eſt: per hunc enim vnum, & cum hoc Deus pater omnia nobis donauit, hunc cum amiſerimus, quid quæſo retinere poterimus? vt omnia nobis cum eo do-

Ceremoniç ornamẽta Eccleſiæ.

Fidei & ſalutis fundamentum ſedulò defẽdendum.

Amiſſo Chriſto amittuntur omnia.

nata ſunt, ita cum eo omnia à nobis auferentur. Reſiſtendum igitur ijs, qui hoc ſcelus audent, qui nos Dei beneficijs, eripiendo mediatore noſtro, & aduocato noſtro, è manibus noſtris, exſpoliant, armati facibus ſcelerati iſtius hominis audaciæ occurrere, Chriſtiq; contumeliam, & noſtrã iniuriam, ſine vlla procraſtinatione vindicare & perſequi debemus, ad quam quidem iniuriam vindicandam, vt tu nobis

Sine Regis autoritate Religio defendi non poteſt.

Sereniſſime Rex te ducem præbeas, rogamus, tuamque Regiã authoritatem imploramus. Egregia vt dixi, fundamenta ſalutis noſtræ poſuiſti, bello hoſtes fregiſti. Regnum auxiſti, iuſtitiam ciuilem iudicio publico & tribunali conſtituto reuocaſti, vnum ad cumulatam tuam laudem, & gloriam ſolidam perficiendam, ijſque quæ abſoluta ſunt Reipub. partibus addendum religioniſq; recreandæ atque ſtabiliendæ cura ſuſcipienda: quod cum à tua Maieſtate factum fuerit, nihil erit, quod

Res preclarè geſtæ à Rege Stephano.

Quid requiratur à Rege.

in officio tuo Sereniſſime Rex, requiratur. Nam cum duo tempora Reipub. imperiorum gubernandorum ſint, alterum pacis, Belli alterum, bellico munere egregiè te functum vidimus: compreſſiſti hoſtes,

Duo tẽpora Reip. adminiſtrãdæ

ſtes, omnibus vicinis Regibus nominis tui terrorem incuſsiſti. Moſcũ victorijs inſaniẽtem refrenaſti: Amiſſa à maioribus noſtris recuperaſti, Liuonia eum excedere coëgiſti, quam regno noſtro nouam prouinciam adiunxiſti, ſocias ciuitates aliò ſpectantes ad officium reuocaſti: quo toto in munere obeundo, & ſumma prudentia tua, & ſingulares virtutes eluxerunt, clementia in hoſtibus tractandis, & modeſtia in victoria, & dexteritas in ſociorũ animis ſedandis, ad officiumquée reuocandis, nihil prætermiſsũ, nihil nõ cum ſumma gloria tua in ea parte imperij tui à te actum eſt, nihil eſt, quod te ad reliqua eius Repub. partis hortemur, egregiè eã animo complexus es, egregium te principem in hoc genere imperij agnoſcimus, ea pars quæ pacem proſpectat aliquid deſiderat. Cum enim conſtet, iuſtitia inter ciues conſtituenda, & conſeruanda & religione colenda atque veneranda, & quod DEI optimi proprium inter nos ſit, cuſtodiendo, ciuilem illam iuſtitiæ tuendæ curam egregiam ſuſcepiſti, tribunalia publica, quæ lectis iudicibus omniũ ordinũ conſtent,

Ciuilis diſciplinæ cura Regi Stephano.

conſtent, conſtituiſti, quo ſe quaſi ab exilio lõgo, iuſtitia ipſa reciperet, vbi non ſolum acquieſceret, ſed etiam ſuam priſtinam dignitatem recuperaret, curaſti, & in ea arce, ad quam ne aſpirare iniuria audeat, eam collocaſti, recuperat quiſq; ſua, ſedantur rapinæ, frenantur violenta facinora, pacis & tranquillitatis ciuilis turbatores pœnas luunt, innocentia tuta & ſecura eſt, ſua quiſque recuperat & poſſidet: nam in tuis ipſius iudicijs illis comitialibus, in quæ maiores cauſæ, quæ facinora criminalia vocamus attrahuntur, non eſt quod moremur, nemo impunitus inde diſcedit, nulla ratio ibi, niſi ſceleris & innocentiæ ducitur, neminem natales, neminem ampliſſimus etiam ordo dignitaſq; tuetur, ſoli innocentes inde impuniti redeũt: non, quis ad tribunal tuum vocatus fuerit, ſed, quid egerit, cuius criminis reus agatur, in illo iudicio ſpectas, ſupplicijs nocentes, & violentos, honore innocentes afficis. Qua tua Sereniſſime Rex animi magnitudine, ac iuſto iudicio, nihil huic Regno, audacia multorum interturbato ſalubrius, nihil ad pacem conſeruandam, innocentiã tuẽdam

Iuiſtia firmata in Tribunali.

Criminalia iudicia ſeuerè exercentur à Rege.

dam

dã accidere potuit: reddidiſti nobis vitam, reddidiſti fortunas, reddidiſti pacem atq; honorem. Altera illa pars, quæ eſt ea iuſtitia, quæ Deo ipſi & ſoli debeatur, quæ in religione, quam nos fidem appellamus, tuenda, colenda, & propaganda verſatur, quam tu etſi ipſe, piè & ſincerè colas, teq; eius pientiſſimum antiſtitem præſtes, eiuſq; incolumitate & honore, nihil antiquius tibi ſit, tamen illa multorum multis iniurijs ita oppreſſa, et vulneribus hæreſeon ita conſauciata eſt, vt caput adhuc attollere nequeat, grauiter gemit in media via, cum illo vulnerato, qui deſcendēs Hieroſolyma incidit in latrones, iacens, erigere ſe nō poteſt, quem nec ſacerdos, nec leuites, nec ſcriba vllus, phariſæusq; aſpiciat: ac neque ſamaritanus occurrit, qui miſericordia commotus, vulnera eius alliget, vino lauet, oleo inungat, impoſitāq; iumento ſuo in diuerſorium deferat, curamque eius habere præcipiat. Quæ equidem ita omni ope deſtituta, totaque à latronibus hæreticis in quos incidit, vulneribus confecta, ad te vnum aciem oculorum, quos iam vix attollit, conuertit, te vnum proſpectat, à te opem vitamque expoſcit

Religio excitandæ.

Religio interlationes incidens vulnerata bonis opeib⁹ exſpoliata gemit

Religio opem Regis implorat.

poſcit, in tuum diuerſorium deferri cupit, opes tuas regias, manus tuas medicas implorat, cuius patrocinium niſi ſuſceperis, ſi ita conuulneratam telis hæreticis, morumq́; noſtrorum iaculis, abſque præſidio reliqueris, vitam amittat neceſſe eſt, quam quod adhuc ſpirare nouus eius hoſtis, latroq́; nouus Antichriſtianus Fräcken audiat, et animo et dentibus fremit, toruis oculis eam aſpectat, & buccis plenis, interitum ei præſentem cõminatur: centuriones ſuos Alciatos, Simones, aliosq́ue ex alijs regionibus ſcopis profligatos, flammis ambuſtos ſecuribus toties appetitos euocat, & aduerſus eam armat, nouas machinas conflat, nouaq́ue tonitrua ciet, alia ſe via, alijs armis eam appetiturum denunciat: nõ tecta eius arcis, ſed fundamentum appetiturum, Chriſtum vnà cum Deo patre, & ſpiritu ſancto, quos diuidi, & vnum ab alio diuelli non poſſe, etſi verbis aliud mentiatur, re ipſa tamen ſcit, exterminari iubet, non ſat illi videtur, ſi Chriſtum cum Alciato, & alijs Trideitarum magiſtris oppugnet. ſi natura DEVM eſſe neget, ſi ne micam diuinitatis illi conuenire clamet,

Fräckē religionē vulneratā ſpirare adhuc moleſtè fert.

Perfugę hęretici ſocij Francken.

met, ac ne homines eius benificio, quod nobis, vt mediator DEI & hominum præſtet, commoti, pro eo contra ſe arma ſumant, igneſque blaſphemo accendant, toto hoc officio eum exſpoliat, nihil illi homines debere clamat, mediatorem eum nec vt DEVM, nec vt hominem poſſe. Multa nugando inſanis ſuadet, ac Deo patri, quod eum filium vocet, conuicium facit: & mendacium obijcit, qui cum non generet, filium tamen ſe habere alta voce de cælo clamet, eique obedire nos præcipiat: igitur iam non Deum patrem, ſed ens primum vocandum decernit: paternitatis honorem illi detrahit: in Spiritum ſanctum multa mentitur: & totam Trinitatem, diuinarum perſonarum euertit, horrendum Idolon, & Papiſtarum Idololatrarumque figmentum eſſe ſuadet. Hæc enim ſunt eius inſtrumenta: hi vectes fundamenti fidei & religionis Chriſti euertendi. Cum enim fides ſit in patrem in filium & Spiritum ſanctum, ſublata hac Trinitate diuinarum perſonarum, abnegato DEO patre, DEO filio, DEO Spiritu ſancto, quæ erit fides? in quem

Mediationis officio Chriſtus ſpoliatur.

Francken conuitiatur Deo patri.

Molimina Francken.

Symbolū Apoſtolorū Trinitatē cōfitetur *in quem deinceps credemus: Credo inquit Apoſtolicum ſymbolum, in Deum patrē, credo in filium eius, Chriſtum Ieſum, credo in ſpiritum ſanctum: in horum nomine baptizamur, horum nomine noſtram fidem obſignamus. Tolle hanc perſonarū Trinitatem, fides tota tollatur neceſſe eſt, non amplius Chriſtiani Chriſto amiſſo, & à tyrāno Francken nobis erepto appellabimur, à Chriſto diſcipuli domini Antiochiæ Chriſtiani vocati: Tolle Chriſtū tolleretur & ipſum cognomētum noſtrū, Hoc illud eſt conſilium, quod Phiraſæi inierant, cum dicerent, opprimamus iuſtū, mittamius lignum in panem eius, Tollatur de terra nomen eius, hoc ſceleratum conſilium reuixit in nouo Phariſæo Frācken, Chriſti nomen, Trinitatis memoriam abolere, & conatur, & hoc ſe effecturum iactat; ijs armis iſte conuulneratam fidem, & ſemiuiuam, veſtibus & ornamentis ſuis ab illis prioribus exutam, in via publica iacentem, omnium ope deſtitutam aggreditur, tyrannus princepsque latronum nouus, fundamentum inquit diſcordiarum in religione tollendum, hoc eſt, dogma de Trinitate eijciendum. Trinitatis*

Sublata trinitate perſonarū diuinarum fides tolletur.

Sublato Chriſto Chriſtianū nomen interire.

Quid iaſtet Frāckē

nitatis enim eſt horrendum idolon, nec pater, nec filius, nec ſpiritus ſanctus, quos tres in cœlo veritatis teſtimonium reddere Ioannes docuit, ſunt nominandi, ſi vultis in religione concordes eſſe, Trinitatis idolon tollendũ eſt, hoc verò fuerit, vt nihil credatis, nullã fidẽ teneatis, curandũ. Cum enim, vt dixi, fides noſtra in patrẽ & filium, & ſpiritum ſanctum ſit, ſublata ea diuinarum perſonarum Trinitate, quid relinquetur credendum? vbi fides conſiſtet niſi in idolis, & in inſania Machometi? Cum igitur fides noſtra, religioque Dei patris, filij, & ſpiritus ſancti, ita deſtitutam ſe videat, & iam non vulnus aliquod, non mutilationem membri alicuius ſui, quod ante perpeſſa, ſed præſentem interitum ſibi imminere videat: iugulum enim eius Francken petit, caput illi ſe detruncaturum minatur, totum animum ad te vertit, oculos vix ægra attollens, præſidia tua ſupplex implorat, manumq́, vt alleuetur porrigit, huius Sereniſsime Rex patrocinium recipe, huius vulnera vino pietatis tuæ, & oleo ſancto illo tuo, quo vnctus regnas, vnge, faſciaque Maieſtatis tuæ obliga, & iumento poteſta-

Blaſphemiæ Francken.

Fides quid deinceps metuat.

Adhortatio.

poteſta-

poteſtatis tuæ Regiæ impoſitam, in Eccleſiam domum eius ſanctam, pietatisq́ diuerſorium defert, patrique familias fideli eam curandam, latronibus et prædonibus inde exturbatis committe, & potentiam tuam Regiam, & authoritatem Franco iſti nouo latroni oppone, regno tuo eam peſtem eijce, vltricibus flammis ſcelus eius, & blaſphemias in Deum expiato. Quod niſi Sereniſſime Rex feceris, iram Dei non effugiemus, in nos ipſos ignis ille, quem ſceleratus iſte accendit, vertetur, nos conſumet. Nunquam enim Deus tantã blaſphemiam, quam etiã in idolatris Senacherib & Antiocho non tulit, impunitam eſſe patietur, ſcindet equidem regnum noſtrum, alienisq́ dabit, negligentes ſuũ honorẽ, negliget: & quæ talenta nobis cõmiſit, ſeuerè repetita auferet: & vt humilitatem noſtram extulit, ita ſuperbiam deijciet, qui potuit dare, poteſt auferre, deponit impios potentes de ſede, erigit eliſſos & humiles. Non poteſt eſſe Sereniſſime Rex vt diutius noſtra inſolentia fideiq́ Catholicæ contumelia & vulnera eius impunita maneant, occurre Sereniſſime Rex iræ Dei, occurre

Senacherib & Antiochus blaſphemiæ graues pœnas dederunt.

Deus negligit ſe negligentes.

curre interitui noſtro, nihil hic tibi obÿci poteſt, quin contra ſceleratum iſtum tuo iure vtaris: Aliorum cauſa alia eſt, munita confœderationibus eſt, & diurnitate temporis ſe tuetur: hoc nouum monſtrum, nouus Chriſti hoſtis in tuo regno te rerum potiente, exortus eſt; & è ſchola Bruti Guaſconis, qui principibus omnem authoritatem aufert elapſus, inuito te in regnum tuum venit, pacem turbat, religionem euertit, Deum blaſphemat, tibi grauem iniuriam facit, qui non te ſed alios Reges ſibi doctrinaq́ conſtituat, præſidiáque aduerſus iuriſdictionem tuam ſibi eorum compáret: eorumque libertate illa infinita, ſi Chriſto placet abutatur. Tuum eſt regnum, tua iuriſdictio, tua religio, nulla merces Regno infertur, cuius victigal non capias, quæ inferunt, Magiſtratui publico demonſtrantur, ſi quod celatũ deprehenſum fuerit, tollitur, fraus illa punitur, cum hæreſes dogmataque noua inferuntur, tuus Magiſtratus & religionis cuſtodes non modo negliguntur, verumenimuero, ſi quid dixerint, impetus in eos fit, nullum ad te negotium religionis refertur, obices tibi opponuntur,

Fräckẽ nõ eſt quod defendat.

Brut' Guaſco ſcripſit librum in quo abrogat omnẽ poteſtatẽ principib'.

Prçſidia contra Regiã Maieſt. quæ cõparet Fräckẽ.

Merces illatę à magiſtratu examinantur.

Religionis cuſtodes & magiſtratu negligitur.

libertas allegatur, confœderationes explicantur, ac omni ex parte impietas defenditur, catholica fides conuulneratur, eccleſiæ columnæ euertuntur, cuius miſeræ fundamentum totum, cui hactenus etſi mutilata innitebatur, Franckẽ demoliri orſus, Chriſtum abnegat: Trinitatem exterminandam cenſet, vt ita fundamẽto eiecto, fides tota tollatur, cui malo; vt occurras, & ruenti fidei, Eccleſiæq́; Chriſti, vt ſuccurras per tremendam et venerandam Trinitatem, quam impius iſte, et ille inſipiens, qui dicit, non eſt Deus, blaſphemat, oro atque obteſtor: non patiaris tantam impietatem optime & pientiſſime Rex, in tuo Regno propagari. Vtere tuo hic iure, cui quod opponatur, non eſt; huic ſceleri cum occurreris, cum diuinam

Premia pietatis.

iniuriam ſi non planè vindicaueris, ac tamen deinceps eam diffundi prohibueris, Deus pater per filium ſuum vnigenitum Chriſtum Ieſum, imperium tuum firmiſſimum, ab omni omnium iniuria tutum reddet, & cætera etiam vt ſuo dilecto Dauid addet: tequé fœlicem in extremam vſq; ſenectutem regnarè faciet: Regnũque ſuum tibi elargietur, quod vt faciat,

ſuppli-

ſupplices oramus, tuamq; Maieſtatem, vt noſtræ audaciæ tui monendi ignoſcas, precamur. Datum Cracouiæ ex ædibus noſtris ſtudij Cracouienſis. Anno domini. M. D. LXXXIIII. die verò vndecimo Auguſti.

TABVLA DOCTRINAE BLASPHEMAE CHRISTIANI FRANCKEN, CVM Præfatione Iacobi Gorſcij ad pium lectorem.

Signum iudicij extremi fidei defectio.

MVlta quidem Chriſtus Ieſus ſigna & argumenta, reditus ſui ad nos magniq; illius diei, quo viuos & mortuos iudicaturum ſe promiſit, nobis demonſtrauit, ſed certiſſimum ſignum eius rei fuerit, fidei quam nos ipſe docuit, defectio. Tum enim ille veniet, tum mundi iudicium inſtituet, cum fidem ſuam extinctam, & veritatem ſuam figmentis hominum impiorum commutatam, talentaque illa, quæ nobis ſeruis ſuis commiſerit defoſſa, mendaciorumque cœno immerſa viderit, quæ vt repetat, veniet. Putatis, inquit ille, filium hominis, cum venerit mundnm iudicaturus, fidem inuenturum? Finis igitur fidei, finis eſt mundi, extincta luce fidei, quæ nos Deo commendat, quæ mundum vniuerſum vegetat, nihil eſt deinceps quod à nobis expectet, & propterea non amplius mundum in eo quem cernimus ſtatu permanere patietur,

quem

quem pietatis gloriæ Dei patris & fidei ſuæ domicilium, ſiue templum, non aulam ſcelerum, atque impietatis arcem eſſe voluit: pulſa pietate, veroque cultu Dei è téplo Salomonis, corrupta religione vera, templum ipſum, vt ſpelunca latronum euerſum eſt, Templum Dei nos ſumus, ſed hactenus donec ille in nobis maneat: manet autem, dum & corde credimus, & ore quod credimus, profitemur, ac non ſolùm ore confitemur, ſed re ipſa & operibus pietatis comprobamus: neque enim illi templum Dei dicendi ſunt eſſe: qui quod verbis ſimulant, factis ipſis abnegant. Fide igitur vera quæ corde creditur, quam os perſonat, quam facta & opera pietati apta, comprobant manente, Dei templum ſumus. quod integrum maneat, neceſſe eſt: Pulſa inde fide, non amplius templum Dei ſtabit: totum quicquid erit, ſpelunca latronum, ſcelerum, ac mendacij ſentina erit, quod cum acciderit, Chriſtus ſui violati templi, fideiſque & veritatis ſuæ vel expulſæ, vel tenebris mendacij immerſæ vindex veniet, iudiciumque illud horrendum, in quo lucra talenti commiſsi à ſingulis repetet, inſtituet: ac mundo finem imponet, totamque ſtructuram eius ita diſſoluet, vt lapis ſuper lapidem non maneat, nec pa-

Mundus templum Dei.

Pulſa fide templũ Dei ſtare non poteſt.

tietur in hæreditate ſua, diabolum, & noſtrum & ſuum hoſtem ſe tam impudenter iactare, vt iam iactat, qui iam fidem eius extinguit per eos, qui ab Eccleſia Catholica recedunt, qui Chriſtiano, nomine illo, quod nouum propheta fore pollicitus erat, ſcilicet, vt à Chriſto Chriſtiani vt Antiochiæ factum eſt, appellaremur, repudiato, alia ſibi nomina fingunt: ac vnitatem Eccleſiæ, quæ cuſtos fidei Chriſti & miniſtra fidelis eſt, dirumpunt, & fide iactanda, fidem ex animis hominum extirpant; cum enim fidei hoſtis ſathan, nec per Iudæorum nequitiam, nec per gentilium acerbitatem eam extinguere quiſſet, imò quantò magis eo modo inſaniret, tanto eam firmiorem eſſe, per totumque diffundi mundum, & magis ac magis vigere cerneret: aliam viam ingreſſus, alios milites contra Chriſtum, non extra vt antè Eccleſiam, non alienos, ſed in ipſa Eccleſia domeſticos & vernas ipſius fidei quæſiuit, qui foras egreſſi, & perfugæ facti, ſpecie pietatis & nomine Chriſti, armati, Chriſtum ipſum oppugnarent ac fidem ſimulando, fidem ipſam euerterent: horum centuriones olim Cerinthi, Ebiones, Valentini, Cerdones, deinde Manichęi, Arriani, & alij infiniti fuerunt, quibus omnibus

Sathan ſemper oppugnat fidem, olim per Iudæos et gentes, nũc per hæreticos

profliga-

profligatis, cum Eccleſia floreret, cũ pax, cum omnia tranquilla eſſent, cum pietas vigeret: gloriaque Dei totum orbem perſonaret, cum Chriſtus omnia in omnibus eſſet: Ecce ſathan profligatus, & in carcerem coniectus, è vinculis ſuis, vt canis furens elapſus, in mundumque emiſſus, noua ciet bella, nouos duces conquirit, & eum exercitum, qui Chriſti eſſet, vanæ fiduciæ iactatione deprauat: vtque perfugas illos ſuos, à Chriſtiano milite ſecerneret, non Chriſtianos, ſed Euangelicos vocare mandat, atque Eccleſiam Chriſti caſtraque Dei ſabaoth ſcindit, & ita quod erat veri Salomonis, Chriſti Ieſu, regnum conſentiens & florens inuadit, & vaſtat, Abſolonem aduerſus Dauid patrem armat, & Salomoni Hyeroboam opponit, qui ne ſui perfugæ & veri Regis Chriſti deſertores, religionis veteris & veræ deſiderio, errore ſuo damnato, in caſtra vnde deducti eſſent redirent, nouam religionis ſpeciem inſtituit, noui Euangelij nouos boues quos perditi homines colerẽt cõflat & proponit, hancq; veram doctrinã Chriſti Ieſu eſſe mentitur. Cuius militiæ ſuæ, aduerſus Chriſtum Ieſum, Martinum Lutherum magiſtrum facit, qui vt tuba cecinit, vt ſe ducem eſſe eius doctrinæ nouæ

Soluitur ſathanas poſt mille annos.

Martini Lutheri militia.

denunciauit, non modò ſingulos homines ſed, etiam vrbes prouinciaſq́; integras excluit. & aduerſus eam, quam ſemper defendiſſet, religionem, & veritatem, mendacijs ſuis armauit. Hoc igitur duce impia illa turba in Eccleſiam Catholicam primum inuaſit: eamque obſidere & oppugnare aggreſſa, culmina eius deijcere, turreſque deturbare cœpit: indulgentias primum oppugnauit, cœrimonias pleraſque damnauit, ſanctos patrocinio, virgines perpetua caſtitate priuauit, ſacerdotes maritauit, Monachos religione ſoluit, & alia multa decora Eccleſiæ ſuſtulit, fundamento men immoto & integro relicto. quod dum iſte agit, exoriuntur ſtatim alij, quos præliorum eius pœniteret: maiora moliuntur, non ſolum tecta culminaque Eccleſiæ detrahunt, parietes etiam ipſos, ac columnas, quibus niteretur, totum illud CHriſti ædificium demoliuntur, Sacramentum Euchariſtiæ, quod pignus amoris charitatiſque mutuæ & mortis ſuæ memoriam, CHriſtus nobis reliquit, ab Eccleſia exturbant, panem & vinum merum tantum ſuis apponunt, veritatem CHRiſti corporis & ſanguinis ſub ſpeciebus illis elementorū ſubſiſtere negant, ac ita ſe à corpore Chri-

Incrementa impietatis.

Chriſti amputant, cuius ſceleris Zuingli-
um & Caluinum duces & authores fuiſſe,
nemo eſt qui ignoret, qui etiam ipſum
ducem ſui ſceleris & principem hæreſeon
ſuis aggreſsi armis coegerunt in ſuam ſen-
tentiam iuuare, & tantum in vſu Eucha- *Diſcipuli magiſtrum Lutherum oppugnant*
riſtiæ ſacramentum eſſe, idque ſola fide
ſumentium effici, extra vſum nullam vim
eius eſſe, nudum panem, vinumque eſſe, &
ob id etiam quod ſumentibus ſupereſſet,
canibus proijci licere perſuaſerunt: Nec
contentus ſathan tanta iſtorum impieta-
te, maiora moliri cœpit. Iam non parieti-
bus modò Eccleſiæ machinas ignesque
iniecit, verumenimuerò fundamentum
ipſum, cui totum ædificium niteretur ma-
nus admouere conſtituit, moxque bap-
tiſmum, quæ porta eſt prima ſalutis no-
ſtræ, per eos qui Anabaptiſtæ dicuntur, *Anabaptiſtæ.*
impugnare cœpit, quem etſi totum ſimul
euertere ſe non poſſe videret, partem eius
demolitur, recens natos baptiſari prohi-
bet, eo modo baptiſatos rebaptiſari ſua-
det, & alia dictu nefanda in hoc ſacra-
menti genere confingit, atque fontem il-
lum CHriſti purum, in quo ſordes no-
ſtras ille mundari voluit, ſorde impietatis
ſuæ, & mendaciorũ infecit. Prætereo alio-
rum alia aduerſus Eccleſiã molimina, quæ
infini-

infinita ſunt, non vno enim modo ſathan Eccleſiam Chriſti oppugnat, fidemq; eius, quæ eſt iuſtitia noſtra, extinguere conatur, quod vt aliquando conficiat, non ſimul feces ſuas illas effundit, ſed ſenſim alia alijs inſtillat. Conuulſa igitur ſalutis noſtræ prima porta baptiſmi, tentata fide, & bonis pijſque operibus nudata, fundamentū vitæ noſtræ, quod eſt Chriſtus Ieſus, proſpectat, quem quomodo aggrediatur, dū cogitat, Arium ſuum conſulit, ab eo milites petit, qui Chriſtū, etſi Deum, filiumq; Dei non negarent, creatum tamen, idque ex nihilo Deum eſſe mentiantur, & proptereà imparem patri, nec natura, ſed voluntate patris & Deum, & filium eſſe, qui etſi Trinitatem perſonarum non impugnent, ſubſtantiam tamen, eandem eſſe, earū perſonarum pernegent, ſeiungunt igitur filiū à patre, vt creaturam à creatore, ſeiungunt ſpiritum ſanctum ab vtroque. Hoc igitur modo fundamentum, in quo tota ſtructura Eccleſiæ locata ſit, demoliri cœpit, maiora mox auſurus, totumque fundamentum hoc exterminaturus, Chriſtumque non modò Deum non eſſe, ſed neque mediatorem inter nos & Deum eſſe, mentiturus, Trinitatemque tremendam figmentum idololatrarum, & idolon horrēdum, ſon-

In Chriſtum ſathanæ impetus:

Trinitarij.

Franckē perfector impietatis.

fontemque omnium turbarum in religio-
ne aſſerturus: vtque concordiæ locus in re-
ligione relinquatur, totum hoc figmentũ
tollendum eſſe clamaturus, vt ita penitùs
euerſo illo fundamneto Apoſtolorum &
Prophetarum, ſuper quod alij aurum, alij
argentũ, alij paleam, lutum alij exædifica-
rent, totius religionis & fidei noſtræ me-
moria, aboleatur, nullaque ſpes ſalutis no-
bis relinquatur: Quò enim nos vertemus?
vnde auxilia præſidiaque aduerſus hoſtes
noſtros petemus? quæ ſpes vitæ & iuſtitiæ
noſtræ fuerit? Chriſto Ieſu ſaluatore &
domino noſtro abnegato? quis nos Deo
patri reconciliabit? quis pro nobis interpel
labit? ſi ille medius inter nos & patrem eſſe
deſierit, non iam amplius Ioannes nobis
peccantibus præſidia indicare poterit, quæ
ſolebat his verbis nobis inculcare: Scribo,
ne peccetis, ſed ſi peccauerimus, habemus
aduocatum apud patrẽ CHriſtum Ieſum,
qui vt Paulus teſtatur pro nobis interpel-
lat. Fruſtrà igitur credidimus, inanis ſpes
noſtra, ſi Chriſtus nõ ſolùm non reſurre-
xit, ſed neque eſt pro nobis mortuus, vt
qui non ſit mediator noſter; fruſtrà Pau-
lus gloriatur, poſuiſſe ſe fundamentum,
præter quod aliud nemo ponere poteſt,
Chriſtum Ieſum, inanis eius illa eſt con-
ſolatio,

Fundamentũ fidei.

Francke ſcripturæ aduerſatur.

ſolatio, quæ aures noſtras circum ſonat, iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ludit nos Paulus cum ait, iuſtificatos per fidem in Chriſtū Ieſum nos pacem habere ad Deum, falſum erit illud ad Timotheum, mediatorem vnum eſſe Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, tota ſpes noſtra, abnegato Chriſto & mediatoris officio exſpoliato inanis erit, totum Chriſti ædificium, cuius fundamenta Prophetæ poſuerunt, Apoſtoli roborarunt, patres extruxerunt, hoc vno lapade ſummo & angulari amoto, concidet: qua arce euerſa, ſathanæ regnum reſurget, in quo ſe ille maiore cum fiducia & audacia iactaret, quam vnquam iactauerit, CHRISTVS IESVS eſt, qui eum vicit, qui Chyrographum eius ſuo ſanguine deleuit, qui eius omnes poteſtates in ſeipſo triumphauit, qui captiuam captiuitatem iu cœlos ſcandens abduxit, hoc duce & victore repudiato, & ab officio hoc amoto, nihil eſt, quod ſathan metuat, nihil eſt quod eum, ne totum mundum ſtatim, ſuo furori ſubijciat, retardabit, ſolus CHRISTVS Ieſus

Securitas ſathanæ euerſo Chriſto.

Ieſus eius iſtius furoris & Tyrannici do-
minatus obſtaculum eſt , cuius ille quo-
niam perturbata Eccleſia Catholica, & in
ſectas diſſecta, varijs & infinitis Hæretico-
rum legionibus vaſtatam, regnum debi-
litatum , vireſque eius imminutas, putet,
totum euertere, memoriamque eius abo-
lere ſe poſſe certò ſibi perſuadet, quod
dum ille animo coquit, dum ad eam vi- *Studia ſathanæ.*
ctoriam præſidia quærit, & in omnes par-
tes animum verſat, ecce Chriſtianus qui-
dam Francken vagus ad eum accurrit, ſi-
bi hanc prouinciam depoſcit, non tantum *Francken*
ſoli CHRISTO, aut ſpiritui ſancto, ſed *miniſter ſa-*
toti Trinitati bellum infert, ſeque effe- *thanæ.*
cturum iactat, ne deinceps Trinitatis ido-
lon in Eccleſia conſiſtere queat; ne DE-
VS pater, ne filius eius, ne ſpiritus ſan-
ctus nominetur amplius , & alia multa,
quæ in eo libello, quem nuper Cracouiæ
edendum ſcelerati Calcographi & homi *Liber Fran-*
nis impij opera, curauit , impudenter ſe *cken.*
certò effecturum, Chriſtoque imperium
abrogaturum denunciat, ſatis impiè ia-
ctat, quam iactantiam , & ſcelus iſtius
perfugæ ſathan etſi probaret, vehemen-
terque ita proiectum hominem ad tan-
tum ſcelus audendum ſibi vltrò oblatum *Sathanas ca-*
gauderet , ne quo tamen caſu ſibi in a- *uet ſuo Fran-*
lijs *cken.*

lijs regionibus, vbi certa ratio credendi legibus conſtituta, & circumſcripta ſit, antequam quod iactaret proficere poſſet, periret, in hoc regnum eum concedere iuſſit, vt ex hac arce libertatis noſtræ mundum ipſum armis ſuis aggrediatur, opeſq; ſuas hic confirmet, militem nobilem ſcribat, atqui non argumentis, non ſcriptura, ſed potius armis ab omni iniuria, etiam Magiſtratus legitimo imperio eum tueatur, ac libertatem, vt clipeum pro eo opponat, & cõfœderationes in aciem producat. Hanc igitur ſedem faciendi belli Chriſtique euertendi ſibi Francken elegit, hic acies ſuas armat, hinc militem euocat, hic ludõs impietatis & blaſphemiæ aperit: hic inuenit qui non ſolùm eum recipiant, ſed etiam qui vel ſanguine fuſo diffundant: Et hæc eſt illa noſtra nunquam ſatis laudata libertas, quæ non modò Deum non metuat, ſed quæ etiam eum cum Senacherib blaſphemet: Sed ad Francken, qui ſuſcepta prouincia belli gerendi eam rationem ſe ingreſſurum denunciauit, quam adhuc nemo ingreſſus eſſet, culmina illa turriculaſq́ue, quibus Eccleſia adornata eſſet, oppugnaſſe & deturbaſſe ait, ſe non in ijs ludicris, & quæ ruinâ totius Eccleſiæ ſequerentur oppugnandis moraturum, ſed ipſo funda-

Abuſus libertatis.

Ratio oppugnandæ religiónis à Franckeninita.

fundamento religionis Catholicæ,machinas admoturum,quo vno vel ſublato, vel commoto, totum ædificium,omnes colũnæ,omnes turres,tecta,parietes,ſtatim ruerent:igitur non modò Chriſtum, nõ modò ſpiritum ſanctum, vt cæteri, aggreditur, verumetiam ipſum Deum patrem in ius vocat,quòd cum nihil generet, patrem ſe dici patiatur; quod nomen vt & totius Trinitatis myſterium idololatrarum arte confectum eſſe ait, ipſamque Trinitatem diſcordiarum in religione condemnat, exterminari eam iubet,& alia nefanda molitur, quibus hoc noſtro ſcripto reſpondemus, ac vt vana & impia damnamus, & contra legiones mendaciorũ ſathanæ cohortem veritatis Chriſti producimus, ne fidei Chriſti Ieſu & officio noſtro deeſſe videamur,ac ne in illo tremendo iudicio, ad inſtituendum, dum fides extincta fuerit, victor noſter Chriſtus Ieſus in Maieſtate ſua venturus eſt condemnemur: quo in loco te monitum eſſe volo lector pie, vt cogites aſtutiam ſathanæ, eiuſque artes in euertenda fide Chriſti expendas diligentius, vide vt ſenſim progreditur, culmina primum religioni detrahit, indulgentias damnat,aquam benedictam ridet, vbi cũ conſtitiſſet,maiora audet, ſacramenta no-

Reſponſio ad blaſphemias Francken.

Aſtutia ſathanæ in fide euertenda.

ſtræ ſalutis fœderiſque perpetui, à Chriſto inſtituta pignora, vel turbat, vel prorſus damnat, qua in re, dum aut illum probamus, aut illi non reſiſtimus, maiora audet, Chriſtum filium Dei à patre ſeiungit, ſpiritum ſanctum damnat, ad patrem ſolum, omnem poteſtatem transfert, filio tamen ſpirituique ſancto aliquas partes attribuit, vt ne videatur patrem omnino potentiæ ſuæ expoliare, receptamque fidem & vſu firmatam prorſus euertere, vbi cum ſe gradum firmaſſe videat, filiumque & ſpiritū ſanctū ſua poteſtate priuatos à ſe iudicat, patrem ipſum mox aggreditur, non patrē ſed ens primum vocari eum præcipit, mendacij eum arguit, quòd dicat ſe filium habere, cum Deus nec generet nec generetur, decreto Philoſophorum, atque cum hac doctrina ad nos dilectiſſimum ſuum, in quo ſibi complaceat, miſit Francken, qui nobis hæc ſuadeat, qui promittat ſe effectu rum, vt Trinitatis nomē aboleatur, hoc verò eſt, vt religio & cultus Dei, vnius in ſubſtantia, trini in perſonis aboleatur: & ad idola illa vetera Deorum mortuorum redeatur. Hic eſt ſcopus doctrinæ & Euangelij Francken, hic finis doctrinæ Lutheri qui ad tantam impietatē primus feneſtrā aperuit, per quam tota impietas infuſa in

Sathā primū filium & ſpiritum ſanctū euertere conatur, vt inde patrē aggrediatur.

Scopus doctrinæ Franckē.

Eccle-

Eccleſia omnia demolitur: ac fundamenta etiam ipſa, quæ Lutherus tuebatur, in quibus ſe ſolum aulam Chriſti ædificare clamabat, euertit & exterminat. falsò Lutherus credebat, non progreſſuros alios vltra eum terminum, quem ipſe audaciæ ſuæ poſuiſſet: non conſtiterunt alij eo in gradu, altiora aggreſſi, conculcatis cerimonijs, eiectis ſacramentis, ſanctiſque oppugnatis, in Chriſtum Ieſum, & ſpiritum ſanctum inuaſerunt, authoritatem & ortum eorum excuſſerũt. Poſtremò Francken ipſe Deum etiam patrem, cum ſua Trinitate perſonarum conſpuit, idolum horrendũ eſſe pronunciauit, ac nihil credendum nobis reliquit, ad Iouem, Mineruam, & cætera idola, religionem tranſtulit. Credo Luthere, te non cogitaſſe, quam temeraria quàm audax, & quàm furens ſit impietas, quæ ſemper incrementa quærit, altaque ſemper petit: planè tibi euenit, quod eueni re ſol et ijs, qui parentes violant, inuaſiſti in patrem tuum ſummum Pontificem, cõſpuiſti faciem eius, veneranda, eius nudaſti à quo maledictus, vt Canaan digna ſuppli cia, à tua prole tuliſti, conſpuerunt illi tuã doctrinam, eoque progreſſi, vt quem tu ſolum Chriſtum iactares, abnegarent, non modoque diuinitate, ſed ipſo etiam offi- cio me-

Lutherũ per ſequuntur diſcipuli.

Sic nos minores, vt nos celuimus maiores.

cio mediationis, ad quod ſolum nos relegabas, vnde ſanctos reijciebas, eum nudarunt, & quidam ita in te deſęuierunt, vt nō ſolum quibus tu contumelijs patrem tuum effeceris, te vlciſcerentur: Verumenim uerò maioribus conuicijs & ſupplicijs te cruciarint, in eo vbi tu tuo patre torquēdo conſiſtere ſolebas, non conſiſtentes limine, fruſtra te clamante, cum illo Ariſtotelico patre, qui filium, à quo capillis traheretur, hortatur, vt ſe dimitteret ad limen attractum, vbi ille ſuum patrem in ſimili ſcelere dimittere ſoleret, à quo ille audit ſe liberaliorem eo hic fore, & vltrà etiā progreſſurum: non conſiſtit enim impietas in primo limine, omnes metas tranſgreditur, & tanquam furens obuia quæque ſternit. apperuiſti hoſtium, ac immiſiſti in Eccleſiam flammam impietatis, quæ non ſolum ea quę tu incenſa eſſe velis, ſed & te ipſum exuſſit, doctrinas tuas aboleuit, fundamēta tua euertit, habes te dignam prolē Chriſtianum Francken, qui in tuis cunis lactatus, quò furoris progrediatur, ex hac quam ſubijcio tabula cognoſces, nec dubito, quin iam non cum Statio illo, vt eſt apud Ciceronem exclames, prò Deum popularium omnium adoleſcentium, clamo, poſtulo, obſecro, oro, ploro, atque

Exemplum impiorum liberorum.

1. De nat. deorum.

atque imploro fidem. Non leuiſſima de re vt queritur ille, fieri in ciuitate facinora capitalia. Ab amico amante argentum accipere meretrix non vult, cum Cicerone ipſo, de religione ſua, & natura Deorum, differente, adſint, cognoſcant, animaduertant, quid de Religione, pietate, ſanctitate, cæremonijs, fide, iureiurando, quid de têplis, delubris, ſacrificis, ſolennibus, ſed potius nobiſcum, quid de religione Chriſti, quid de fide, quam iactaſti vnam. quid de Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro, ſpiritu ſancto magiſtro noſtro, quid de fonte omniũ bonorum, & totius diuinitatis, Deo patre impius iſte ſcribat, quam impiè Deum blaſphemet, clamabis equidem, ſcelus hoc chriſtiano homini & Euangelij nomen iactanti, non ferendum, ignibus tantam blaſphemiam expiandam: in crucem ſcelus hoc abripiendum. Eſt equidem, cur ita & tu & nos clamemus, cur ignes tantæ abolendæ blaſphemiæ accendamus, niſi velimus nos omni religione & fide vacuos, & perinde, vt iſte nequam, in Deum Blaſphemos eſſe, demonſtrare, non minus impietatis reus eſt, qui blaſphemat, quàm qui blaſphemum non cohercet, vtriuſque ſcelus eſt, & grauius quidem nõ vindicantis,

 illc

Ille enim impunitate animatur, qui ſupplicium ſpectans auderet facinus nunquam. Sed iam tabulam doctrinæ Francken aſpice. Datum Cracouiæ ex ædibus noſtris ſtudij Cracouienſis, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, die verò vndecimo Auguſti.

TABVLA DOCTRINAE FRANCKEN IN præfatione.

1. *Religionem Chriſtianam eſſe inconſtantiſſimam omnium quæ ſunt, fuerunt, & fortè erunt religionum.*
2. *Cæremonias nullam habere certitudinem, niſi ſtultam credulitatem.*
3. *Nullam religionem inter Chriſtianos inueniri errore & ſuperſtitione vacuam.*
4. *In orbe Chriſtiano tantam ſeruitutem, quantam nullus vnquam immaniſſimus Tyrannus optare auſus fuerit, eſſe.*
5. *Fruſtrà Chriſtianos libertatem ſuã quam Chriſtus peperit, iactare, leuioremqúe ethnicam ſeruitutem, quàm libertatem Chriſtianam eſſe.*
6. *Ethnicorum ſeruitutem in corpora, Chriſtianam in animos ſæuire, & propterea libertatem Chriſtianam crudeliorem eſſe ſeruitute ethnica.*
7. *Inter Chriſtianos, ſeruos dominari, dominos ſeruire.*
8. *Seruos natura ſtupidos, indoctos, etiam ſi ſint nobiles potentes, fortunati,*

nati, diuites & viribus præualentes eſſe.

9. *Solos ingenioſos & doctos liberos naturæ eſſe, qui nunc & in papatu, & alijs religionibus & ſectis miſerrima ſeruitute premuntur.*

10. *Non permittere credere, & ſuam fidem profiteri, vt quiſqu vult, eſſe acerbam & monſtroſam & pluſquam barbaram ſeruitutem.*

11. *Quorum omnium malorum fontem eſſe, conſentiens inter omnes religionis dogma de Trinitate, è quo vt mõſtro monſtroſæ religiones naſcantur.*

12. *Monſtroſos partus Trinitatis mõſtroſiſſima ſeruitute nutrice.*

In libro ipſo

1. *Omnium religionum quæ ſunt, fuerunt, & fortè erunt inconſtantiſſimam eſſe religionem Chriſtianam.*

2. *Religionem Chriſtianam in tot ſectas diſſectam, quot enumerari vix queant.*

3. *Quarum ſectarum maximam quãque in maximo errore tuendo conſtantiſſimam eſſe aſſerit.*

4. *Quali ingenio quiſque eſſet, talem*

eum

eum religionem ſibi fingere, & ad eum ſenſum qui ſuis moribus conſentiat, literas ſacras torquere.

5. *Quemq́; moribus ſuis finem bonorũ & malorum aptum fingere.*

6. *Trinitatis dogma ab ijs profectum. qui multitudini deorum colendorum aſſueti erant.*

7. *Quamuis plurimis teſtimonijs ſcripturæ ſacræ Trinitatis ratio demonſtretur, tamen id totum reijciendum eſſe, propterea, quod teſtimonia illa ſcripturarum improbè detorqueantur ad eum ſenſum.*

8. *Antiſtites Chriſtianos idolis colendis olim aſſuetos operã dediſſe, vt ſuperſtitionẽ ſuam illam quaſi natiuã, authoritate ſacræ ſcripturæ confirmarent, atque vt veſte eleganti ornarẽt, & propterea varios ſenſus ſcripturæ ſacræ finxiſſe vt ita facilius figmenta ſua tuerentur.*

9. *Authores dogmatis de Trinitate, dicto hoc Pauli, Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia illi eſt, nec poteſt intelligere quia ſpiritaliter dijudicantur hominum mẽtes,*

excæcaſſe, ne Trinitatis idolon horrẽdum eſſe & figmentum videant.

10. *Authores dogmatis de Trinitate figmentum hoc ſuum crudelitate nimia muniuiſſe.*

11. *Chriſtum rebus naturalibus ſpiritualia metiri, & iudicare voluiſſe, hoc verò fuerit, ſenſui & rationi noſtræ fidem ſubijci, non ſenſus rationemq́; in obſequium Chriſti et fidei mancipare, contra quàm Paulus doceat.*

12. *Rationis & ſenſus iudicium Chriſtianos damnaſſe & fidei totam religionem ſuam ſubijci voluiſſe, ne eorum error & fraus deprehendi poſſet.*

13. *Ingenia acuta, quæ lumine veritatis illuſtrata idolon eſſe Trinitatẽ viderent, tum pœnarum acerbitate, tum honorum præmijs tacere, fraudemq́ue non prodere Antiſtites Chriſtianos adegiſſe.*

14. *Qui Trinitatem in diuinis agnoſcunt, Trinitarios; & idololatras eſſe.*

15. *Trinitarios veritatis fulgorem & ſplendorem non ferre.*

16. *Filium Dei* λόγον *Deum genitum ab æterno, figmẽtum eſſe idololatrarum,*

quod

quod figmentum, quoniam ne in luce veritatis poſitum deprehendatur, æternitatis tenebris immerſum eſſe, à callidis hominibus.

17. *Deum eſſe ens primum, perfectum, immutabile, à nullo pendens per ſe ſufficiens, Deum verò genitum, hoc eſt* λόγον *filium Dei non eſſe ens primum & cætera, propterea non eſſe Deum.*

18. *Deum nec generare, nec generari.*

19. *Eos qui Trinitatis rationem Solis exemplo demonſtrent cum ratione inſanire.*

20. *Mundum non eſſe genitum.*

21. *Quod eſt genitum, principium habere, ſi* λόγος *eſt genitus Deus, principium habere eum neceſſe eſt, & non eſſe ens primum, vnde ſequatur Deum etiam non eſſe.*

22. *Deum generando mutari, & diminutionem eſſentiæ ſuæ pati, & propterea generationem diuinam inanem eſſe, et figmentum hominum, cum Deus non mutetur.*

23. *Si filius Dei* λόγος *deus genitus homo factus ſit, neceſſariò ſequitur, immutatum eſſe, quod in Deum cadere non poteſt,*

poteſt, qui eſt immutabilis.

24. *Deum vnum & eſſentia & hypoſtaſi ſiue perſona, non admittit. n. pluralitate p rſonarũ, ſed vt ſubſtantiã vnã ita et hypoſtaſim vnã in Deo vult eſſe.*

25. *De Trinitate perſonarum in vnitate ſubſtantiæ, vanam doctrinam eſſe.*

26. *Idololatras non contentos duabus perſonis diuinis, tertiam addidiſſe ſpiritum ſanctum.*

27. *De diuinitate ſpiritus ſancti nullum extare teſtimoniũ in ſacra ſcriptura.*

28. *Si ſpiritus ſanctus eſt Deus, fratrem eum filij Dei eſſe neceſſe eſſe.*

29. *Hanc fictam de Trinitate doctrinã, cõmunem conſenſum totius ſacræ ſcripturæ refellere mentitur.*

30. *Duo genera ſimilis ſubſtantiæ producendæ eſſe creationem & generationem ait eſſe, prætermittit verò ſpirationem vt Sophiſta.*

31. *Hypoſtaticam in ſecunda Trinitatis perſona, id eſt Chriſto Ieſu, duarũ naturarũ, quã idololatræ, ſic nos ſemp vocat, cõfinxerũt, eſſe argumentũ certiſſimum conficta doctrinæ de Trinitate perſo-*

perſonarum in vnitate ſubſtantiæ.

32. *Idololatras trib⁹ perſonis diuinis nõ cõtentos, quartã adieciſſe, quæ et homo & Deus eſſet, qui etſi non maior, quaſi tamen maior, Deus haberetur.*

33. *In Chriſto vniri duas naturas, commentum aptum ad decipiendos homines eſſe, negat enim vnionem duarum naturarum in Chriſto eſſe potuiſſe.*

34. *Chriſtũ Deũ idololatras, Deũ carnalẽ feciſſe, vt eũ comederent & biberẽt.*

35. *Sacramẽtarij, nugãtur de carne & sãguine Chriſti, ꝙ nec ipſi intelligũt.*

36. *Humanitatem Chriſti oportere in vnione naturarũ exæquari diuinitati, alioquin multa abſurda inde ſequi autumat, & multa nugatur.*

37. *Vrget tribus argumentis, quæ inuicta vocat, duarum naturarum in vna Chriſti perſona vnionem eſſe nõ poſſe, quæ argumenta vt ſubtilia ita vana & veritatis inania ſunt.*

38. *Chriſtum non eſſe mediatorẽ inter nos & Deum patrem aſſerit: totumq́, meritum Chriſti tollit, ac omnem ſpẽ ſalutis noſtræ, quæ eſt Chriſtus Ieſus euertit, quod longo contextu & multis*

argu-

argumentis conatur efficere.

39. *Chriſtum ignorare diem iudicij aſ-ſeuerat,& propterea Deum non eſſe.*

40. *Concludit Chriſtũ, neq; vt hominẽ, neq; vt Deũ mediatorẽ eſſe poſſe,& ꝓpterea vnione duarũ naturarum in eo opus non fuiſſe: Deumq́; ſola bonitate ſua,& potentia hominem liberare, & culpam illi donare potuiſſe, non tradendo pro nobis filio, contendit.*

41. *Sũma totius impietatis eius fuerit, religionẽ Chriſtianã inconſtantiſſimã errorisq́; & ſuperſtitionis pleniſſimã.*

42. *Trinitatem venerandam figmentũ Idololatrarũ & horrendũ idolon eſſe.*

43. *Filium et verbum Dei* λόγον *non eſſe Deum, non eſſe mediatorem, nihilque homines illi debere.*

44 *Spiritũ ſanctũ nõ Deũ cõſubſtãtialẽ Deo pati, ſed figmẽtũ idololatrarũ eſſe.*

45. *Qui Trinitatis doctrinam ſequuntur, idololatras eſſe.*

46. *Trinitatẽ, omniũ diſcordiarũ inter Chriſtianos fontem et cauſam eſſe, & propterea hoc idolon tollendum, vt diſcordia tollatur.*

47. *Neq; patris, neq; filij, neque ſpiritus*

ſan-

ſancti perſonas agnoſcio portere, ſed vnum Deum, qui pro patre Deo, ens primum appelletur, debere.

48. *Hæc ille, non tam oratione exornat, & argumentis inſtruit, quàm mendacijs, & blaſphemia in Deum, contumelijs in Chriſtianos onerat, merumq́ Sophiſtam agit.*

Hæc ſunt molimina Francken, hæc facinora capitalia in ciuitate noſtra regnoq́ non modò impune fiunt, ſed etiam præmijs & honoribus adornantur. Vides quæ ſcelera meretrix hæretica patret, argentum ſponſi Eccleſiæ CHRISTI Ieſu repudiat, fidem eius deteſtatur, omnemq́ ſpem, omnes rationes vitæ & iuſtitiæ noſtræ tollit, & in Deum patrem furioſe & libidine hæretica æſtuans debacchatur, in faciē tremendæ et venerandæ Trinitatis ſpuit, noſq́ ad libidines ſathanæ nefandas prouocat, ex filiis Dei mancipia diaboli eſſe iubet, cui meretrici hoc ſcripto reſpondemus, & veritatem aduerſus mendacia tuemur, in quibus ſi quid imprudenter, & alienum à conſuetudine Romane

mane Eccleſiæ exciderit nobis, pro non dicto haberi decernimus; ſtudiumque noſtrum tuendæ religionis Chriſti, ſeruatoris noſtri pijs viris commendatum eſſe optamus.

PRO TREMENDA ET VENERANDA TRINITATE, IACOBI

cobi Gorſcij, aduerſus quendam Apoſtatam Francken, falsò appellatum Chriſtianum, Apologeticus ſiue Antichriſtianus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CVM nuper ad Bibliopolas acceſſiſſem, & numquem librum recens editum, ac lectione dignum haberent, perquirerem; reſponderunt illi, nihil quidem nunc tale ſe habere, daturos tamen operã, vt è nundinis illis celeberrimis Francfordienſibus, & noui & veteres libri, lectione doctorum virorum digni, ad ſe maturiùs aduehantur. Tum quidam: Ego verò habeo in hac vrbe recens ęditum libellum, quem non abſque magno dolore legi, cuius tibi copiam, ſi placet, faciam, ſed ea lege, vt authori eius reſpondeas, ac Chriſti Ieſu Seruatoris noſtri, ſpirituſq; ſancti, *Liber Francken qualis.*

atque adeò totius Trinitatis diuinæ, cuius in hoc libro, arcana & myſteria impudenter ridentur, ac fundamẽta fidei & ſalutis noſtræ conuelluntur, Deiq́ue maieſtas tremenda, blaſphemijs maledictiſq; perpetuis afficitur, vindices. Quod cum audirem, indolui, tantamq́; licentiam in hoc regno hominibus impijs & perditis datam eſſe, vt non dubitent, omnibus maiorum inſtitutis conturbatis, & planè religione euerſa, magiſtratu legitimo deſpecto, ipſam maieſtatem dei, non ſolùm non reuereri, ſed etiã impudẽter ei illudere, ægerrimè tuli, ac dolore quidem preſſus, diſcedere cœpi; volui tamen eum librum mihi monſtrari: quem cum accepiſſem, titulumq́; eius legiſſem, & in quo argumento verſaretur, & à quo Authore ſcriptus eſſet, cognoui. Prępoſuit nãque ille nomen ſuũ ei ſcripto, quem, quod nunquã viderim, vbi eſſet quærebã; at ille ſe omninò vbi habitaret, ignorare aiebat, librũ aũt eum ab Alciatho quodã Italo ſibi traditũ, ſeq́; ab eo, vt venali illi in taberna ſua libraria

Licẽtia quid pariat.

Alciathi hominis vagi impietas.

braria

braria ꝓſtare liceret, petitũ dicebat. Eſt enim hic nequam Alciathus, oĩm illorũ ſtudioſus, qui in Trinitatis arcana inquirunt, ac eius impietatis, quæ filium Dei imparẽ Deo patri eſſe, ac vt tres hypoſtaſes, ita eſſentias etiã diuinas, diſtinctas eſſe doceãt, hic etenim eſt magiſter ille, qui primus hanc impiã ſcholam in hac vrbe aperuit, & in Chriſti diuinitatem inuaſit: quam doctrinam, cum in Italia parturire cepiſſet, quod eã abſq; ſuo malo, in ea regione parere nõ poſſet, Geneuam profugit, ac ibi cum Valẽtino Gentili, & Blandrata, cæteriſq; impietatis magiſtris, palàm profiteri cœpit, quod tamen illi diutiùs facere in ea vrbe, quãuis eſſet illa oĩm hęreſeon receptatrix, nõ licuit. Vrgẽte.n. Caluino, Valẽtinus Gentilis à Magiſtratu dãnatus, viuuſq; igni traditus; è qua flamma, Alciathus iſte cũ Blandrata ambuſti, cũ effugiſſent, in Polo niã ſe receperunt, ac Blandrata quidem, quòd non multos ſuæ doctrinę capaces inueniſſet, quæſtumq; è ſua iſta impietate non magnũ faceret, lo

Supplicium Gentilis, et fuga Alciathi.

cum mutauit: in Vngariam, vbi cum maiore fructu ſuo, Deum vnum in eſſentia, trinum in perſonis blaſphemaret, conceſſit. Cracouiæ ambuſto iſto Alciato, dogmatis ſui Superintendente, & Epiſcopo relicto, qui libertate noſtra quiduis audendi armatus, cœlum affectare, comportatiſque impietatis, & blaſphemię mõtibus, iter ſub eo ſtruere cœpit, Chriſto diem dixit, dicamque ei grandem inpegit, quòd ſe filium Dei, patri omninò parem, Deumque verum & æternum ſe eſſe nobis patefecerit; ad dexteramque Dei patris, in gloria vnigeniti filij DEI conſederit, & tanquam alieni patrimonij & principatus direptor, patri ſuo iniuriam fecerit, quod iudicium dum inſtruit, aduocatoſque corrogat, teſtimonia, tabulas, omniſque generis aduerſus Chriſtum Ieſum argumenta congerit: Ecce Antichriſtus, nouus Chriſtianus Francken (è ludo illo cœleſti, & pietatis veræ paleſtra Societatis Ieſu hominum, tanquam ergaſtulo aliquo elapſus) Germanias, Galliaſque per-

Audacia Alciati.

Principes impietatis conuenerunt in vnum aduerſus Dominũ.

percurrit, locum, in quo venenum quod clàm in Schola pietatis coxiſſet, diuenderet; ſanaſque mentes inficeret, quærens. Sed cum nuſquam tutò conſiſtere poſſet, omnes enim doctrinam ſuam impiam abominantur. In Polonia, omnia omnibus licere recordatus, relictis illis, in quibus vagabatur terris, noſtris hominibus ſe immiſcuit, ac vnam hanc vrbem, in qua ſe tantum iactare Alciathum audierat, ſibi ſedem delegit: hoſpitio & præſidijs Alciathi, & eius diſcipulorum vſurus; & ex ea arce impietatis, quam Alciathus cum Gregorijs & Blandratis communiuiſſet, & omnis impietatis armis, blaſphemiſq; machinis, Chriſtum oppugnaturus: Deoq; patri brachia fortitudinis ſuæ filio eius vnigenito, per quem, & ſpiritui ſancto, in quo omnia ageret, & conſtitueret, præciſurus, vt ille inermis manens, pro ſuis ſceleribus à ſe pœnas repetere non queat, vt primū igitur hanc vrbem ingreſſus, arcem Alciatham petit, ac machinas impietatis ſuę in nos exonerat, & nobis me

Licentia Polonorum.

Filium Dei, & ſpiritū ſanctum negare, brachia Deo patri eſt præcidere.

tum incuſſurus, & ſuis ſe Alciathis, ducem præſto eſſe, ſigna daturus. Edit igitur trium ſyluarum volumen, cum titulo hoc: Præcipuarum enumeratio cauſarum, cur Chriſtiani, cum in multis religionis doctrinis mobiles ſint, & varij, in Trinitatis tamen retinendo dogmate ſint conſtantiſſimi: ſcilicet vagus ille, certas rationes ſtabiliendæ religionis noſtræ demonſtraturus, & conſentientes, tam diſtantes & diſſectas ſectas redditurus. Putat autem iſte nebulo diuerſas illas & diſſidentes religiones, tamque à ſe diſtantes ſectas concordes ſe facturum, ſi ipſum fundamentum fidei, Chriſtum Ieſum, in quo vera religio ſedes ſuas poſuit: & in quo tuendo, ſectæ illæ diſſectæ ſint, euertat; Et quidem ſi hoc factum fuerit, Antichriſtianus iſte, erit verè Francken, & impietatis ſuæ compos, euerſo enim fidei noſtræ, & ſalutis noſtræ, quod Paulus poſuit fundamento, diſcordia nulla, contentio nulla de religione erit: om-

Franckē cur fundamentū fidei euertere conatur.

omnes religione CHRiſti abiecta, Deo vero abnegato, vel ad Gentilium mores,& idola priſtina redibūt, vel Machometiſmum, quem ille, etſi non verbis, re tamen ipſa introducit, recipient: & in impietate exercenda, duce Francken Antichriſtiano conſentientes erunt: Aliud fundamentum religionis ſuæ, ſcilicet, quod ſceleratus iſte poſuit, ipſam impietatem & Atheiſmum ſibi ponent, non ſolum diuos & ſacra, ſed ipſum DEVM abnegabunt: O egregiam concordiam, ô mirandum magiſtrum: Si vultis, inquit, eſſe in religione concordes, ſi vultis diſſidia inter vos tollere, abnegate Chriſtum fundamentum religionis veſtræ, de cuius veritate contenditis, euertite Trinitatis dogmata, fabulam eſſe dicite, Chriſtum Ieſum non modo non eſſe Deum verum, ſed etiam vix hominem putate, ſpiritum venti flatum eſſe, nihilque diuinitatis habere pronūciate, totamq; Trinitatē, vt idolum horrendum tollite, atq; ita il o fundamento, quod Paulus ſe vo-

bis poſuiſſe, neque quenquam aliud ponere poſſe inaniter iactat, ſublato, concordes eritis. Inde enim inter vos diſcordiæ oriuntur; quo euerſo, nulla vobis diſſentiendi & contentionis cauſa occurret. Hæc doctrina eſt iſtorum, hoc nouum Chriſtianus Francken conſilium concordiæ in religione ſtabilienda inuenit, hoc certè magiſtro Chriſtus patris è ſinu abſtrahēdus, omnis potentia illi eripienda, meditationis munus ei auferendum, ſpiritus ſanctus ventus eſſe decernendus, vt Deus pater duobus brachijs ſuis præciſis, truncus, mancuſque reddatur. Hoc conſilium eſt nebulonis iſtius, hæc ratio eius cōcordiæ, quam parturit, hanc ille concepit iniquitatem, mox Atheiſmum pariturus, ſolet hic tantus vir, tamque perſpicax, & in conſilio dando acutus, Lutheri conatus reprehendere; quòd cum Eccleſiam euertere conſtituiſſet, eam demolitionem non à fundamentis, vnde oportebat, ſed à culmine exorſus eſſet, indulgentias, cæremonias, ſanctorum inuocationes, & alia quæ leuio-

doctrinæ Frãckenſcopus.

Francken cur accuſet Lutherum.

leuiora eſſent, damnaſſe, & quaſi culmen Eccleſiæ detraxiſſe, ſuperficie firma, in fundamento immoto, permanente; debuiſſe Lutherum, ſi operæpretium facturus fuiſſet, ea aggredi, quibus vel euerſis, vel tantum labefactatis, totum ædificium Chriſti prolaberetur, ac corrueret, debuiſſe eum fundamenta eruere ac demoliri, ſine quibus non ſolum tecta, ſed etiam ipſa ſuperficies, ipſi parietes, totaque Eccleſiæ ſtructura, ne momento quidem manere potuiſſet; ruinam enim fundamenti, & demolitionem, ruina totius domus ſequitur, quod Lutherũ acut⁹ hic cyclops, nõ vidiſſe, & miratur & reprehendit, quem, ſi hoc vidiſſet, vno momento ſuæ cupiditatis compotem fuiſſe ait, neque tot ſocijs, & Eccleſiæ oppugnatoribus opus illi futurum fuiſſe, quo euerſo per vnum ſuum dogma religionis fundamẽto, totum quod cum animo ſuo volutarit, conſecutus fuiſſet; nullamque occaſionem & cauſam diſcordiarum & diſſenſionis reliquiſſet, omnes vno facto ad idololatriam vete-

rem, Deo vero abnegato traduxiſſet: & impietate ſectanda, conſentientes & planè Germanos reddidiſſet, Machometi dogma confirmaſſet, quid igitur? & Lutherus, vt ſtupidi ingenij & bardus homo, reprehenſione; & Francken vt Cyclops oculatus, & ingenio acuto, honore, qui nobis tam facilem euertendæ religionis Chriſti, & Catholicæ Eccleſiæ modũ demonſtrauit, dignus. Quæramus igitur, quid illud eſt, quod demoliri Antichriſtianus iſte, magiſter noſter velit, vnde demolitionem religionis, & Eccleſiæ ſanctæ ordiri monſtrat: Fundamentum ipſum, inquit, euertendum eſt, ſi vis omnia ruere, quod autem fundamentum hoc eſt, vnde tanta inconſtantia religionis, & diſcordiarum materia enaſcatur, & in quo omnes ſectæ ædificant, aliæ aurum, aliæ argentum, paleam aliæ, equidem non aliud, quam quod Paulus ſe poſuiſſe, & præter quod aliud poni non poſſe, teſtatur Chriſtus Ieſus. Hic enim eſt ſolus & vnus fidei & ſalutis noſtræ, illa petra, in qua Eccle-

Fundamentũ quod Francken euertere conatur.

Eccleſia ædificata, & poſſeſſionem ſuam, vireſque firmauit, huic fundamento Briareus iſte vectes impietatis ſuæ admouet, Chriſtum Deum, mediatoremque DEI & hominum eſſe pernegat, tremenda myſteria, vnitatemque trium diuinarum perſonarum, non ſine cachinno fabulam & idolum vocat, Fabula illi Chriſtus Seruator noſter, fabula ſunt nebuloni illa verba: *Ite, baptizate, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, quod firmum fundamentum vitæ noſtræ & ſalutis, Chriſtus eſſe demonſtrauit: Fabula eſt apud iſtum: *Hæc autem eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*. quę cunque de Chriſti diuinitate è ſcriptura afferantur, fabula eſt in ſchola magiſtri Francken, fabuloſum & à Papiſtis confictum nomen Trinitatis, quæcunque ſcriptura vel diuinitatem Chriſti, ſpirituſque ſancti, vel trium diuinarum perſonarum, vnitatis in eſſentia, & Trinitatis in perſo-

perſonis teſtis affertur, vt commentum Francken ridet, ac omnia propugnacula è ſcriptura deprompta, diuinitùs inſpirata, ad Trinitatis tremẽdæ miſteria demonſtranda, reijcit & calcat, vt robuſtus Gigas Deũ ipſum patrẽ, præciſis vt iam dixi, primũ brachijs ſuis, filio & ſpiritu ſancto, diuinitate nudatis, & in ſui mendacij vincula coniectis, cœlo detracturum, ac cathenas illi iniecturum minatur.

Francken audacia.

Francken vndiq; eiectus.

Hic igitur præclarus magiſter, quem tota Europa igni & flammis armata, inſequitur, quem omnes religiones, omnes Regiones, omnes vrbes, populi, & ciuitates, vt peſtem præſentem eiecerunt, quem abominantur, cuius & nomen, & doctrinam execrãtur, qui quod eis elapſus ſit, quòd quas meretur, pœnas effugerit, & exẽplum cæteris Antichriſtianis datus, apud eos non ſit, grauiſſimè dolent: ac ſuam in eo comprehendendo, flãmiſque cũ ſua doctrina, cuſtodiendũ tradẽdo, ſocordiã dãnant, in hoc clariſſimo & potentiſſimo regno ſe diutius iactabit? ſuum virus impunè vomen-

mendo? ac in hac primaria Regni no ſtri vrbe iudicium in Chriſtum Ieſum, ſpiritumque ſanctum inſtituet, patrem omnis diuinitatis fontem ridebit? brachijſq; ei ſuis præciſis, truncum, mancumque impijs ſuis diſcipulis ridendum propinabit, & libertate noſtrá ad incendium iræ Dei in nos abutetur? Feremus hæc ſcelera? patiemur tam apertè Deum noſtrū, vitam noſtram, patrem noſtrum, creatorem noſtrum blaſphemari? & quod Regnum ſemper religioſiſſimum fuerit, profanari, patiemur hoſtem non modo filij Dei, & ſpiritus ſancti, verum enimuerò totius Trinitatis indiuiſæ fouebimus, præſidiaq; ei aduerſus veritatis, & veræ religionis Doctores propugnatoreſq; adferemus. Tentat nos Deus, tentat, & quātum ſe amemus exquirit, vt cum nos pro ſe neglecto, ac contumelijs, nobis ſpectantibus & audientibus, & nō ſolùm nō prohibentibus, ſed etiam opem ſcelerato homini ferentibus, pœnas meritas à nobis repetere aggreſſus fuerit, nihil nobis ſit quod excu-

Deus ridetur

Fideles tentantur per hæreticos.

excuſemus, quod miſericordiam e-
ius imploremus, oſtendit enim ſta-
tim nobis, quàm turpiter à nobis ſua
Deus negligẽtes ſuam gloriam negligit. gloria neglecta; quàm indignè in o-
culis noſtris ſit tractatus. Negligi-
mus gloriam eius, negligemur ab eo:
Diligit ille diligentes ſe, negligentes
ſe negligit, & caſum eorum deſpicit,
periclitantibus non modò opem ne-
gat, ſed etiam pœnas meritas auget.
Quoties Deus hominem cognoſce-
re, & palàm, quod ille ſimulat, de-
monſtrare vult, immiſſis falſis Pro-
phetis, & doctoribus impietatis au-
Deut. 13. thoribus eos tentat; quod Moyſes
populo ſuo cauens, diſertè monuit,
ſurrecturos falſos Prophetas inter e-
os aſſerens, qui à lege ſua, & Deo pa-
trum ſuorum eos auocaturi veni-
rent, aliamque doctrinam ad eos af-
ferrent; quod cùm acciderit, monet,
ne eos Prophetas audiant, & inter
ſe conſiſtere patiantur, ſed ſtatim e-
os occidant, & de medio tollant,
doctrinam eorum abominatam, &
omnem memoriam aboleant, ra-
tionem

tionem reddens eam, quòd eo facto tententur à Domino, cognoſcente, an toto corde eum ſequantur & audiant, & quos ſui amantes, cauſam ſuam tuentes, ac toto corde ſibi hærentes inuenit, eos honorat, ac muneribus debitis ornat, vt Abraham, vt Iob, & alios Patriarchas, Patreſque ſanctos; quos verò à ſe diſcedere, honorem ſuum negligere, iniurias ſuas, & contumelias ſuas, non vindicare deprehenderit, in eos ſuas copias immittit, gladij, peſtis, famis, & aliorum malorum turbam, hinc excidia vrbium, hinc Regionum vaſtitas, captiuitates, & in remotas Regiones, incolarum tranſlationes, ac morte durior ſeruitus. Multa & illuſtria eius vindictæ & iræ DEI exempla ſunt in ſacris Biblijs, ſæpè populus ille, qui Iſrael dicebatur, grauiſſimis calamitatibus ob neglectum DEVM, eiuſque verum cultum deſertum, ob falſos Prophetas receptos, nouas religiões aſſumptas, legem neglectam, inuo-

Cur tententur fideles per hæreticos.

Vnde excidia vrbiũ, & alia calamitates oriuntur.

Vt pœna neglectū cultum Dei, ita præmium honorē ſequitur.

Num. 25.

1. Reg. 15.

Exercitus DEI.

Eſaia 44.

inuolutus eſt: Multi qui iniuriã DEI, vel ægrè tulerunt, vel pro ea ſe in pericula coniecerunt, præmijs honorati. Phinees ſacerdos, quod idololatram Moyſi legem deſpicientem interfecerit, ſacerdotio ſempiterno honoratus. Dauid, quòd Deum toto corde ſequeretur, quòd gloriam eius propagaret, quod iniuriam eius non ferret, perpetuum regnũ meruit, quod Saul ob neglectum Deum, mandataque ſua amiſit, ac & ſe ipſum, & totam domũ euertit, & nos miramur, vnde tanta regnorum mutatio, vnde vrbium interitus, tot tantæque calamitates, vnde barbarorum crudeliſſimè ſeruientium ille impetus, innumerique exercitus prodeunt. Omnes illi exercitus Dei ſunt, omnes irę eius miniſtri, & iniuriæ ſuæ, & contemptus ſui, inter ſuos, vltores ſunt. Sic Cyri Perſarum Regis, cuius Deus teſtatur ſe apprehẽdiſſe dextram, ne quis ei reſiſtere poſſet, exercitus, eſt vindex iniuriæ diuinæ, iniuriam inſignẽ Dei viuentis & veri, vltus eſt Cyrus: Babylone euerſa, Rege cæſo, Regionibus

nibus infinitis vaſtatis. Ea enim cauſa eſt transferendorum Regnorũ, ab vna gente, ad aliã, ob Deum verũ contemptũ, & irriſum, regno Babylonij à Cyro Perſa exuti, Perſæ ipſi ab Alexandro Macedone profligati, Macedones à Romanis euerſi, qui & ipſi ob eam eandem cauſam, ſuis armis ſe confecerunt, ac barbarorum præda facti ſunt. Neglecta lex ſub iudicibus ab Iſrael, idolaque pro vero Deo fabricata, idololatria pro vero cultu Dei veri, à priuatis priuatim inſtituta ab Iſrael, eiuſque iudicibus, non vindicata, & vndecim tribubus vulnus graue inflixit, & tribui Beniamin excidium peperit, Michę idolũ quod domi colebat, neglectum ab Iſrael, mali illius, & irę Dei cauſa fuit, quod ita eſſe, Philo Iudęus, Iudæorum Antiquitatis explicator, diſertè teſtatur. Eiũs enim calamitatis totius Iſrael eam cauſam fuiſſe demonſtrat. Quod etſi Micham quędam hominem diu domi idola conflaſſe, ac ea vt numen colere, ſacerdote etiam ei idololatrię Leuitici generis propoſito, vniuer-

Iudic. 18.

ſus Iſrael ſciret, nihil tamen ea iniuria Dei veri ſui commoueretur, legẽ Moyſi negligeret, ſacra violari non moleſtè ferret. Non erat enim tum, teſte ſcriptura, in Iſrael Rex, non erat iudex, qui legem Dei ſui tueretur, qui impios cultus inſtitui non permitteret, & in idololatras, falſoſque prophetas animaduerteret, ſed quiſque, quod illi rectum videretur, faceret, quo tempore adoleſcentes Beniamin, homines laſciui, & legis diuinæ obliti, Leuitæ cuiuſdam, qui in eorum vrbem tenebris noctis oppreſſus diuerterat, vxorem quam ſecum duxerat, raptam horrenda libidine, ac ſtupris contaminarunt, ac ita vexarunt, vt miſeram illam, animam efflare neceſſe fuerit; quo nefando facinore, totus Iſrael commotus, adoleſcẽtes, facinoris tanti authores à Beniamin ſibi dari ad ſupplicium poſtularunt, iniuriam mulierculæ violatæ vlturi, qui Dei ſui, à quo tot tantiſq; beneficijs cumulati eſſent, planè iniuriam neglexiſſent, neque idola Michæ vlti fuiſſent. Hi igitur negante Senatu

Libertas credendi idololatriæ parens.
Iudic. 19.

natu & ſenioribus Beniamin, ſe adoleſcentes illos puniri paſſuros, bellũ eis Deo conſulto, & victoriam eis promittente inferunt, grauiſſimè à Beniamin caſtigantur, cæſique & fugati domum redeunt, ac iterum Deum conſulunt, bellumq; reparant, eadem calamitate afflicti, & victi fugiunt, ac congregati in Syllo cum Deo, qui ſibi belli inſerendi Beniamin author fuerat, ſe deceptos, in tantam calamitatem præcipitatos, & planè verbis & reſponſo diuino circumſcriptos expoſtulant, & vtrum tertiò arma ſumerent, & ſcelus in mulierem commiſſum, & ſuam cædem vlturi conſulunt: quibus cur cæſi ſint à Beniamin, cauſa explicata, repetere eos arma iubet, & victoriam indubitatã promittit, cauſam autem hanc eſſe, quod à ſe in ea pugna deſerti fuerint, ait: quod ſe ſuamque contumeliam, qua à Micha idololatra affectus eſſet, neglexiſſent, ſe enim & ſuum honorem negligentes, negligere & in periculis poſitos deſtituere ait, & hac ſimilitudine, quam parabolam

Iudic. 20.

Cur XI. tribus à Beniamin cæſa.

vocant, ad eam rem planius demon- *Philo lib. Antiq. Habr.* ſtrandam vtitur. Fuiſſe quandam ait ſyluam, in qua multæ habitarent feræ, quæ vt & catulis ſuis, & ſecuritati ſuæ conſulerent, leoni cuſtodiam ſyluæ commendaſſe, vtque feras ex alijs ſyluis venientes arceret, nec catulos ſuos dilaniari ab eis ſineret, mandaſſe: quod munus quamuis recepiſſet, & honore delectaretur leo, officium tamen ſuum neglexiſſe, feras aliundè in ſyluam cuſtodiæ ſuæ commendatam venientes, & ſuarum ferarum catulos deuorantes, vltum non eſſe, nec vnquam iniuria illa externorum commotum fuiſſe, catuloſque ſuarum beſtiarum dilacerari, ſecuro animo ſpectaſſe. At cum quadam die fera domeſtica catulum alterius feræ, in eadem ſylua dilaniaſſet, leonem illum ſtatim cuſtodem ſyluæ, exclamaſſe, feras excitaſſe, eaſque in ſe mutuò deſæuijſſe, ac ipſum etiam leonem dilaceraſſe, & alio in eius locum conſtituto, pacem inter ſe compoſuiſſe, quam parabolam ita interpretatus eſt Deus, vt diceret: Syluam illam eſſe

eſſe regionem & terram à ſe Iſrael datam, feras autem ipſos Iudæos ſeu Iſrael, quos ex Aegypto liberatos, in illa regione locaſſet, leonem cuſtodē, iudices & Magiſtratus eſſe, qui beſtias ex idololatriarum ſyluis & Regnis, veri Dei cultum perſequentibus, in Iſrael venientes filios ſuos dilaniantes, & à cultu ſuo ad idololatriam pertractos, perdentes, ſathanæque ſęuiſſimo leoni deuorādos tradentes, nec prohiberent, nec vlciſcerentur. Nec tanta ruina eorum mouerentur, ſuamque tam inſignem iniuriam contemnerent, liberè falſos prophetas inter ſe verſari, vt à veri Dei cultu, ad idololatriam filios ſuos rapi paterentur, ſuamque iniuriam & contumeliam diſſimularent: qui quod illis ipſis iniuria facta eſſet, quod eiuſdem ſyluæ peior fera, aliam feram inuaſiſſet, clament, tumultuentur, ad arma aduerſum Beniamin, vt peſſimam feram ruant, pro ſtupro mulieris vnius vindictam expoſcant, mortemq; vnius mulierculę pluris quàm ſe ſuamque gloriam æſtiment; qua

BIBLIOTECA NAZ. VIT. EMANUELE ROMA

cauſa cædis eorum explicata monet, pergerent in Beniamin, & arma eis tertiò inferrent; quo bello ita Beniamin neglectæ legis, & ſceleris admiſſi, graues pœnas dedit, & ita cæſus, vt præter ſexcentos adoleſcentes, qui è cæde illa vaſtiſſima effugerant, nemo ſupereſſet. Ita ob Dei cultum neglectum, & Beniamin tribus exciſa, & victores quadraginta millia virorum amiſerunt, pœnaſque graues idololatriæ diſſimulatæ dederunt: quod exemplum diſertè docet, quàm grauiter DEVS contumelias ſuas, & religionem ſuam neglectam, ac feris hominibus, hæreticiſque proſtitutam puniat; ex omnibus ſyluis, è toto orbe terrarum, in hanc noſtram ſyluam Poloniam feræ hæreticorum irrumpunt, falſis doctrinis imbutos, hæreſeoſque dentibus laceratos, à vera religione & auita lege abductos, Sathanæ ignibus æternis cruciandos tradunt. Nobis nòn modò non reluctantibus, verùm enimuerò applaudentibus, nos enim lu-

Hæretici ex omnibus regionibus pulſi, in Poloniã fugiendi.

pis illis in noſtra viſcera deſæuientibus, animas noſtras deuorantibus, honores largimur, præmia decernimus, menſis noſtris adhibemus, ingenia eorum miramur, pro eis arma paramus. Confœderationes, pro tanta animarum lanienа, aduerſus pietatis defenſores conficimus, libertateque noſtra, ad noſtram ipſorum perniciem, & ad Chriſti Ieſu, ac patris eius, ſpirituſque ſancti contumeliam abutimur, ac iram Dei, in diem iræ eius nobis theſauriſamus, mortemq; ac ſupplicia commerita, pro ſua miſericordia differentem, ſpatiumque reſipiſcendi nobis dantem, ad nos puniendos excitamus, ac malum inſtans vrgemus, indies nouæ enaſcuntur hæreſes, ſcelerati homines, ex omnibus regionibus, & omnibus religionibus eiecti, damnati, ſupplicijs & igni deputati ad nos confluunt, exilij ſui locum ſecurum, Poloniam in ſermonibus & colloquijs ridentes eſſe iactant, atque apertè ſecuritati noſtræ, & CHriſto à nobis eis prodito, illudunt.

Abuſu libertatis, quid pariat.

Polonia exul lum hæreticorum receptaculum.

O miſerum regnum, ô miſeras vrbes noſtras, ô perditam libertatem. Vbi tam apertè Deum blaſphemijs pro ſcindere liceat, vbi non ſolum alios Religionis ritus, articuloſque fidei, ſed etiam ipſam venerandam & tremendam Trinitatem, idolum non modò liberè, ſed etiam cum pręmio & applauſu, & dicere, & docere, ſcri ptiſque eam contumeliam, vagis hominibus, mandare liceat. Tacent leo nes noſtri, non clamant aduerſus has immaniſsimas feras, non obſiſtunt tantæ animarum lanienæ, in tam excelſa & Eccleſiæ, & Regni collocati ſede, & ſpecula. Ocioſi manent, perdi ti populi, graues pœnas (ſanguinem pereuntium de manibus eorũ, Deo exquirente) daturi: quorum, ſi quis vel verbo offendatur, quantum clamorem tollant, quæ arma parent, quam minabundi incedant, pœnas cum ſanguine poſcant, videmus, ſi fa miliaris, ſi ſeruus, ſi amicorum aliquis offendatur, accurrunt, vindicant, iura, iudicia. arma denique minantur, at tuam Chriſte Ieſu fili Dei Domi-

Contumelia Dei honoratur.

Principes videant officiũ ſuum.

Chriſti iniuria negligitur.

Domini noſtri iniuriā, tua vulnera, contumeliam tuam non ſolùm negligunt, ſed etiam in te blaſphemos alunt, honorant & præſidijs libertatis ſuæ communiunt. Venerunt non gẽtes iam illæ, quas tu oues tuas reddidiſti, ſed filij tui, quos ſanguine tuo redemiſti, in hæreditatem tuam. Polluerunt templum ſanctum tuum, & Eccleſiam illam ſanctam, quam ſanguine tuo conſecraſti violauerunt, patrem tuum, & ſpiritum ſanctum, vnà tecum idolum vocarunt, tua nobis munera à te relicta, corpus & ſanguinem tuum, cibum & potum illum verum, qui animas noſtras viuificaret, tibique Deo noſtro iungeret, eripuerunt: fabulam eſſe dicunt, idolumque non ferendum. Nec ſatis illis erat; ſacramenta ea, quorum miſeri myſteria capere nequeũt, & in quibus vt in lapide ſcandali offenduntur, omnibus conuicijs conſcindere, effundere, & pedibus, vt porcos margaritas illas Chriſti precioſas, ante eos effuſas, conculcare; niſi etiam in te, vitæ ſuæ autorem, conculcatis illis ſa-

Pſalm. 78. *Fructus hæreticorum.* *Eſaia 10.* *Matth. 7.*

lis ſacramentorum tuorum muneribus, impetum facerent, vt te vel purum impuro ſuo ore hominem appellarent, diuinitate tua, qua DEO patri te æqualem eſſe, nos verè docuiſti, te exſpoliarent, & è ſinu patris euellerent, vel ne hominem quidam eſſe dicerent, hoc verò eſt, nunquam fuiſſe te mentiantur, & fundamentum vitæ noſtræ, te cum Deo patre, & ſpiritu ſancto, contumelijs afficiant naturam diuinam eſſentia coniunctam hypoſtaſi, & perſonis, vt tu ipſe nos doces, ſeparatam, idolum horrendum vocent, & in cœtu hominum proclament, ſcriptiſque ſuis tantam blaſphemiam mandatam, totum per orbem diffundant, cum qua impietate nunc ferus quidam aper, & inſanus canis, nomine Chriſtianus Francken (è ſchola ſociorum Nominis tui, quos tu religioni tuæ ruenti columnas ſubiecisti, tanquam è fæuo, vt ille dictitat, Tyrannorum Ergaſtulo elapſus) ad nos venit, blaſphemijs in te; & DEVM patrem, vnà cum ſpiritu ſancto

Contumeliæ in Deum Francken.

Francken.

Ieſuitarum ſchola.

ſto, vrbem noſtram compleuit, vineam tuam exterminaturus, ac Machometum pro te, & tota Trinitate in ſedibus noſtris locaturus. Non deſunt huic impietati auxilia, habet ſocios, habet propugnatores. Nam vt quondam Roma omnium idolorum, & Religionis omnium gentium ſedes dicitur fuiſſe, ita noſtra Polonia; omnium Hæreticorum eſt ſedes, vel potius ſentina. Huc enim è toto orbe impietas effuſa confluit, quam ſua blaſphemia, falsò dictus Chriſtianus Francken cumulat, & te cum patre tuo, & ſpiritu ſancto, horrendum idolum vocat. Cuius doctrina & Religio quæ ſit, dum viris pijs explico, tu Chriſte Ieſu fili Dei viui, miſſo ſpiritu tuo ſancto me ad iuua, & arma veritatis tuæ, contra tam ferum aprum mihi largire, manumq; meam, lapidem veritatis tuæ in frontem iſtius Goliath caſtris Dei Sabaoth conuiciantis, vibrantem dirige ac guberna.

Polonia omnium hæreſeon receptaculū.

Tertullia in Apologetico.

Innocatio auxilij.

1. Reg. 17.

Atque hæc præfati, ad rem ipſam veniamus Antichriſtiani Francken, arcem impietatis, è qua venerandæ & tremendæ Trinitati bellum infert, inſpiciamus, & ea quibus inſtructus ſe effecturum, ne amplius homines horrendum Trinitatis idolum venerentur, néve in eo tuendo ita concordes & conſtãres deinceps ſint, ſuperbus hic Goliath iactare non deſinit, arma expendamus. Et quidem in primo limine iſtius tam muniti ædificij lemma hoc depictum eſt, & Titulus tanquam hedera vini index, in tabula appenſus, totius belli quod parat, ſummam complectitur, & quæ vina hoſpitibus ſuis, & aduentoribus propinet, indicat ijs verbis: Præcipuarũ enumeratio cauſarum, cur Chriſtiani, cum in multis Religionis doctrinis mobiles ſint & varij, in Trinitatis tamen retinendo dogmate ſint conſtantiſſimi. Quæ ſua hedera, quæ vina Oenopola iſte vendat, facilè indicat, fecem ſcilicet illam, quæ nondũ exinanita erat, quam peccatores terræ potaturos pronunciat Propheta, quæ

Iactantia Francken

Titulus libri Francken.

Pſalm 74.

quæque calicis eius, quem in manu Dei ſcriptura eſſe ait, & vnde omnes ſectæ biberent, exhauſto mero in fundo ſubſedit, & huic potiſſimum relicta, quam iſte cupidè, & magna cum ſiti exhauſit, atque poturos vt à ſe eum hauriant, ac ſua impietate, blaſphemis verbis inebriati in tremenda myſteria, ne angelis quidem vidēda vomant, Deum patrem cum filio, & ſpiritu ſancto idolum horrendum appellent, omnem metum Dei ac religionis abijciant, eos hortatur, ac vt liberaliùs mutuum furorem ſibi propinent, inuitat. Hoc eſt iſtius Cyclopis merum, hoc ille Vlyſſi cum ſocijs eius, hoſpitibus ſuis, propinat vt incluſos antro ſuæ blaſphemæ, & in Deum contumelioſæ doctrinę, ad ſaxum fractos, & ſub dentibus ſuis trepidantes voret: Hæc eſt illa vltima & extrema fex, in qua omnes blaſphemiæ, & omnium ſectarum ac hæreſeon ſordes natent, nemo adhuc tam altè in hanc fecem os ſuum merſerat. Ac ne Arrius quidem ipſe (niſi fortè Ebionem & Cerynthum ſpectes,

Doctrina Francken.

Vide Homer. & Virgil.

Magi-

magiſtros, quod poſterius te ſpectaſ-
ſe docebo) qui in myſteria & arcana
Trinitatis primùm inquirere cœpit,
& hãc fecem ipſam propinauit. Nam
& ſi filium Dei, patre Deo poſterio-
rem eſſe, & creatum à patre, ſpiritum
verò ſanctum ab ipſo filio ſomnia-
ret, vtrique tamen diuinum hono-
rem reliquit, vtrumque Deum eſſe fa
tebatur, non totam igitur illam fecẽ
in fundo calicis hærentem hauſerat,
maximam partem eius noſtro huic
Antichriſto Francken reliquit, qua i-
ſte inebriatus, quod ille non auſus,
Chriſtum diuinitate ſpoliauit, & offi
cio mediatoris, ſecundum vtramque
naturam eius exuit, ac nudum muti-
lumq; ridendum & illudendum im-
pijs hominibus fece ſua ebrijs proſti-
tuit, Deum patrem omni poteſtate
exſpoliauit, mancum præciſis eius
brachijs, filio ei & ſpiritu ſancto abla
to, reddidit, vtpotè qui totam illam
fecem inſaniæ exhauſit, & quidem i-
ſta eius hædera duplicem errorem ſe-
ctarum, diuerſarumque religionum
indicat: Alterum, quod in tuenda re-
ligio-

Quos errores Chriſtianis ob ijciat Francken.

ligione, mobiles & varij ſunt, nec vſquam conſiſtant, & in dies religiones commutant, quod probarent, improbent, ac illo Comico, Nolo, Volo, puerorum inſtar in religione tum recipienda, tum reijcienda abutantur. Quæ hædera & inconſtantiam ſectatorum indicat, & nihil firmi in eorum religionibus eſſe demonſtrat, ob eamque cauſam non Euangelij dogmata illa eſſe, ſed hominum ventoſorum, ac cupiditatum mundi mancipiorum eſſe teſtatur. Quæ enim ſolida ſunt, quæ in Chriſto fundamento firmo extructa, firma & immota manent, eundem vultum ſemper retinent, nec loco, nec tempore commutantur, qualis eſt ea Religio, cuius Roma eſt Princeps, quæ toto in orbe ſimilis ſibi & conſtans, eademque ſit, quæ ab Apoſtolis accepta in ſinu Eccleſiæ adoleuit, quæ à Patribus ſanctis, Concilijs Oecumenicis, auro gemmiſq; ornata, pura & caſta virgo, & ſponſa Chriſti Ieſu ſine omni ruga & macula ingreditur. Nã iſtę religiões, quas Francken mobiles *Catholica religio qualis.*

variaſque eſſe indies ait. Non virgines Chriſto deſponſæ ſunt, ſed potiùs meretriculę illę, quę cum omnibus moechis hæreticorum ſcortantur, fucoque illecebrarum, ac vitæ æternæ falſa oſtentatione, homines tanquam ſyrenes cantu ſuo capiunt, & à vera vita ad mortis portas transferũt, qui fucus, quoniam ad omnes vẽtorum flatus mutatur, ac ſtatim ſplendorem ſuum deperdit, & quaſi herba ſubito enata, Solis ardentis feruore preſſa flacceſſit primum, deinde exareſcit, & proinde magiſtros & fabros eius eam aſſiduè interpolare, & primo euaneſcente fuco, alterum inducere, & noua cæruſa meretriculæ eius purpuriſſoque nouo faciem inficere neceſſe eſt, quod cum ita ſit, non malè Francken mobiles & varias eſſe iſtorum religiones dicit. Cum amiſſa veritatis virtute, & vitali illo ſynceritatis ſpiritu, fucus euaneſcat, & turpiora omnia ea, quæ inficit, reddat. Quamobrem qui hoc genus mobilium doctrinarum fugiunt, rectè vitæ ſuæ conſulunt. Sed videamus aliũ

Hæreſes meretriculæ.

erro-

errorem illum, quem hedera ad limē arcis Antichriſtiani indicat. Hanc autem eſſe vult conſtantiam omnium ſectarum, in retinendo dogmate Trinitatis, nam vt ſuperiorem reprehenſionem Chriſtiano iſti Francken, inconſtantia religionum, ita hanc alteram, conſtantia & conſenſus hominum in tuendo & perpetuò retinendo Catholico dogmate de myſterijs & arcanis tremendæ Trinitatis peperit, quod quidem vnum dogma Trinitatis, totius noſtræ religionis, ac vitæ noſtræ fundamentum cum ſit, omnes omnium ſectarum magiſtri, ſua in eo conſtruunt conclauia, alij quidem ex auro, alij argento, alij è palea & luto, ita vt in ſtructura quidem diſſidentes ſint, in fundamento verò cō cordes, quod totum Franken non probat, & non veræ & conſentientis religiōis, ſed diſcordiæ & turbarum, nomen Trinitatis eſſe vult, ac contentionum, quibus ſe Chriſtiani conficiant, & varias in ſectas ſcindantur, fontem eſſe mentitur, eo igitur fundamento relicto, euerſoq;, aliud fun-

Inconſtans Francken cō-ſtantia reprehendit.

Articulus de Trinitate fundamentum religionis Chriſtianæ.

1. Corint. 3.

damentum conſentientis & conſtantis religionis quærendum eſſe monet, quod ipſe demonſtraturum ſe iactat, hortaturq́;, vtq́ue hoc fonte turbarum & ruinæ religionis relicto, a-

Conſilij Francki explicatio

liò nos transferamus, monet. Hoc verò eſt, vt vero Deo patre & filio, & ſpiritu ſancto eſſentia vno, perſonis trino, relicto, & impiè abnegato, contumelijs onerato, vel ad idola falſorum deorũ cum Iuliano illo Imperatore Apoſtata, redeamus; aut Machometũ eiuſq́; dogma recipiamus, nihil etenim aliud reſtat, nulla alia religio occurrere poteſt, ab initio mũdi, aut verus Deus colebatur, quẽ iſte idolũ vocat, aut muta illa ſimulachra falſorum deorũ, ad quæ hoĩes, vt pecora

1. Corint. 12.

duci ſolitos Paulus ait, venerabãtur:

Deum oẽs eſſe fatentur.

nam omninò negare Deũ, nemo vnq̃ probauit; prçter inſipientem illũ, qui in corde ſuo dixit, nõ eſt Deus, nullã

1. de legibus.

Cicero gentem tam rudem, tam barbaram, tam immanem inueniri ait, quæ neſciret Deum eſſe, quãuis, quis, qualíſve eſſet neſciret, non omnes verum Deum cognoſcebãt, multi, multos

tos & falſos ſibi cõfingebant ſolis Iudæis Deus ſe per Moyſen & Prophetas patefecit, ſolus Chriſtus veri Dei patris ſui veram religionẽ, & cultum inſtituit, verumq; Deum qui eſſet, nobis idola colentibus demõſtrauit, & arcana illa diuinitatis ſuæ, cum patre & ſpiritu ſancto reſerauit, & nos in omnem veritatem adduxit, notus quidem in Iudæa erat Deus, ſanctum erat apud eum populum nomen eius. *Pſalm. 75.* Sed certè Chriſtus qui eſt in ſinu Dei patris, certiorem eius noticiam nobis attulit, & arcana ea Trinitatis quę celabantur Iudæos, vel tanquam per nubem eis indicabantur, in lucem protulit, ac omnem veritatẽ nobis de Deo patefecit, huic enim ſoli hæc arcana reſeranda ſeruata ſunt: vnde illa Samaritanæ ſatis pia confeſſio, Chriſtus cum venerit docebit nos omnia; ſciuit quidẽ ſamaritana q̃ docuit Moyſes, ſciuit præcepta, & cęremonias legũ, ſed tamen cum vberiore doctrina Chriſtũ expectabat: nã eũ arcana apturũ & legẽ mancã impleturũ ac perfecturũ ſæpè in ſynagogis audiebat.

Chriſtus veritatem patefecit.

Ioan. 4.

Chriſtus explanator legis.

Quæ igitur illa omnia ſunt, quæ Chriſtus delata cœlo docuit, equidem nō alia ſunt, quam ipſa quæ diximus, myſteria, quæ omnis noſtræ fœlicitatis, vitæ, & beatitudinis fundamentum ſunt, quam Trinitatem appellamus, quæ eſt Deus pater, & filius vnigenitus ſuus, atque ſpiritus ſanctus, in horum enim cognitione vita noſtra cōſiſtit. Hæc eſt vita æterna, vt te Deum patrem, ſolum, & verum Deum cognoſcant, & quem miſiſti Chriſtum Ieſum, inquit ipſa veritas, via, ac vita noſtra, & proptereà nos baptizari & mundari præcepit, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, qui tres in cælo teſtimonium dant, vt inquit Ioannes, qui tres, hypoſtaſi diſtincti, vnus & idem indiuiſus in eſſentia & natura eſt Deus, quæ veritatis patefactio per Chriſtum Iheſum, qui ſolus Deum, quem nemo vidit, nobis demonſtrauit, ac quæcunque & vidit, & audiuit, apud eum in ſuo ſinu manens enarrauit, treſque perſonas diuinas in vna eſſentia eſſe docet, multiſque modis demonſtrauit: Audita eſt vox

Arcana Chriſto ſoli reuelanda reſeruata.

Ioan.17.

Ioan.14.

Matth.vlt.

1.Ioan.5.

1.Ioan.1.

patris ad filium in lauacro Iordanis ſtantem: Tu es filius meus dilectus, viſus ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum de cœlo deſcendens, ac in eo requieſcens, pater filium alloquitur, & ſpiritum ſuper eum demittit, venturum clamat Chriſtus ſpiritum ſanctum à ſe & patre miſſum, ac apertè tres diuinitatis perſonas eſſe demonſtrat; quod vt figmentum Papæ ridet Francken, ac Trinitatem diuinam idolum horrendum, & abominationem eſſe magna cum fiducia inter ſuos latrat, omneſque ſectas ac religiones eo nomine, quod in dogmate Trinitatis, à Chriſto Ieſu, veritate, via & vita noſtra monſtratur, conſtantes ſint, acerbè accuſat, & vt errorem grauiſſimum reprehendit, quod ſceleſtum illud caput, ea doctrina firma manente, voti ſui & religionis euertendæ cupiditatis, compotē ſe non poſſe eſſe videat, hoc igitur obſtaculum libidinis ſuæ effrenatæ tollere conatur, ac conſtantiam omnium religionum in hoc vno articulo damnat. Non videt ſcilicet Lynceus

Matt. 3. & Marc. 1.

Conſiliū Frāckenin accuſanda conſtātia religionis

Quæ igitur illa omnia ſunt, quæ Chriſtus delata cœlo docuit, equidem nō alia ſunt, quam ipſa quæ diximus, myſteria, quæ omnis noſtræ fœlicitatis, vitæ, & beatitudinis fundamentum ſunt, quam Trinitatem appellamus, quæ eſt Deus pater, & filius vnigenitus ſuus, atque ſpiritus ſanctus, in horum enim cognitione vita noſtra cōſiſtit. Hæc eſt vita æterna, vt te Deum patrem, ſolum, & verum Deum cognoſcant, & quem miſiſti Chriſtum Ieſum, inquit ipſa veritas, via, ac vita noſtra, & propterea nos baptizari & mundari præcepit, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, qui tres in cælo teſtimonium dant, vt inquit Ioannes, qui tres, hypoſtaſi diſtincti, vnus & idem indiuiſus in eſſentia & natura eſt Deus, quæ veritatis patefactio per Chriſtum Iheſum, qui ſolus Deum, quem nemo vidit, nobis demonſtrauit, ac quæcunque & vidit, & audiuit, apud eum in ſuo ſinu manens enarrauit, treſque perſonas diuinas in vna eſſentia eſſe docet, multiſque modis demonſtrauit: Audita eſt vox patris

Arcana Chriſto ſoli reuelanda reſeruata.

Ioan.17.

Ioan.14.

Matth.vlt.

1.Ioan.5.

1.Ioan.1.

patris ad filium in lauacro Iordanis ſtantem: Tu es filius meus dilectus, viſus ſpiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum de cœlo deſcendens, ac in eo requieſcens, pater filium alloquitur, & ſpiritum ſuper eum demittit, venturum clamat Chriſtus ſpiritum ſanctum à ſe & patre miſſum, ac apertè tres diuinitatis perſonas eſſe demonſtrat; quod vt figmentum Papæ ridet Francken, ac Trinitatem diuinam idolum horrendum, & abominationem eſſe magna cum fiducia inter ſuos latrat, omneſque ſectas ac religiones eo nomine, quod in dogmate Trinitatis, à Chriſto Ieſu, veritate, via & vita noſtra monſtratur, conſtantes ſint, acerbè accuſat, & vt errorem grauiſſimum reprehendit, quod ſceleſtum illud caput, ea doctrina firma manente, voti ſui & religionis euertendæ cupiditatis, compotẽ ſe non poſſe eſſe videat, hoc igitur obſtaculum libidinis ſuæ effrenatæ tollere conatur, ac conſtantiam omnium religionum in hoc vno articulo damnat. Non videt ſcilicet Lynceus

Matt. 3. & Marc. 1.

Conſiliũ Frãcken in accuſanda conſtãtia religionis

iſte conſtantiam & conſenſum hunc populorum, omniumq́; ſectarum argumentum certiſſimum, & indubitatum veritatis dogmatis eius, quod ille oppugnandum ſuſcepit, atque vt fontem inter religiones diſſenſionũ & diſcordiæ, obturandum ſuadet, veritas ipſa ſibi ipſi conſentiens & conſtans ſemper eſt, agnoſcunt etiam in cæteris errantes huius doctrinæ veritatem, quæ non minus quam Solis ſplendor oculos illorum illuſtrat, & in quo fundamento vita eorum, omniſq́, beatitudo ſedes ſuas poſuit, clariſſimè eis demonſtrat, conſentiunt igitur veritati, probant dogma venerandæ & tremendæ Trinitatis, omni hæſitatione remota, & Trinitatem in vnitate ſubſtantiæ, & vnitatem in Trinitate perſonarum venerantur, meminerunt Deum vnum eſſe, ſcripturam teſtari, pluralitatem deorum non probari. Audiunt illa ipſius Dei verba, ex ore prophetæ clamãtis. Audi Iſrael, vnus eſt Deus, Ego ſum Deus, poſt me non erit alius. Audiunt Paulum dicentem nobis: Vnus eſt Deus

Conſtantia articuli de Trinitate, ex veritate nata.

Deut 6.
Iſai. 45.

Deus, & alia infinita teſtimonia ſacræ ſcripturæ, quæ tu ipſe Francken tenes. Doctrinam etenim hanc, decennio in ſchola Societatis Ieſu audiebas, & vt puto alios hoc ipſe docebas, venerandam & tremendam Trinitatem, quam nunc vt Cyclops, lumine veritatis amiſſo, idolum horrendum appellas, quam in Paradoxis illis tuis inſanis & impudentiſſimis venerandam & tremendam Trinitatem vocare ſolebas: Non igitur refero, quæ alij congerunt vnitatis diuinæ teſtimonia, nouiſti, fateris diligenter & conſtanter Trinitatis dogma à pijs & verè Chriſti diſcipulis defendi & tueri, te tamen ea non admittere clamas. Omnia illa teſtimonia repudias, ac in tua inſania perſeuerans, contra omnem ſenſum & conſenſum, Trinitati venerandæ honorem detrahis, atque vt rabidus canis in Dominum tuum qui te fecit, qui ingenio, qui eruditione, cæteriſque donis te ornauit, qui te in cœtum ſuorum aſciuerat, & ad

Francken decennio in ſchola Ieſuitarũ vt lupus inter oues latuit.

Temeritas Francken inconſtans omnibus aſperinanda.

Ingratus animus Franckẽ reprehẽditur

& ad coronas cœleſtes vocabat, impetum facis, eique interitum afferre conaris, per quem viuis, qui tibi reſipiſcendi tempus dat, & vt ad ſanam mentem redeas expectat, vno momento te extincturus. Nouerunt inquam, ô perditiſſimum caput, omnes illæ ſectæ, quas diſſectas tu etiam vocas, quas inconſtantiæ reprehenſis erroris in religione accuſas, nouerunt myſteria & illa arcana, & vnitatem ſubſtantiæ, & Trinitatem perſonarum diuinarum, ſciunt vnum Deum ſemper prædicatum eſſe. Circum ſonat aures omnium vox illa diuina: Audi Iſrael, vnus eſt Deus, non erit poſt me alius, audiunt Chriſtum dicere: Ego & pater vnum ſumus Audiunt: Ite, prædicate Euangelium vniuerſo mundo, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Sciunt igitur abſque fide & baptiſmo nullam ſalutem eſſe, at baptizari præcipimur, nõ tantùm in nomine patris, quem tu vnum Deum in eſſentia, & in hypoſtaſi, excluſo prorſus filio & ſpiritu ſancto, ab eius illa & eſſentia, & hypoſtaſi

De Trinitate dogma cõſtãs

poſtaſi eſſe vis, baptizari fideles Chriſtus prçcepit, ſed addit filij perſonam, addit ſpiritus ſancti, vt apertè te doceat, tres eſſe à quibus vita noſtra depēdeat, patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, non dubium eſt, vitam noſtrā à Deo ipſo dependere, nec alios ad id munus nobis præſtandum admitti, *Refellitur Francken.* ſolus Deus eſt vita noſtra, ſi igitur vt tu vis, ſolus Deus pater, hanc vitam nobis præſtitit? Quid queſo vir acute opus fuerat, adiungi in baptizandis fidelibus nomen filij, & nomen ſpiritus ſancti. Si filius Deus non eſt, & ſalus à Deo patre noſtra dependeat ſolo, cur igitur ad eam rem præſtādam filius ſocius DEO patri adiungitur? Cur ſpiritus ſanctus ad hoc opus aduocatur? Honorem meum, inquit Deus, non dabo alteri, atqui in baptizando fideli & vita nobis danda, hūc *Deus pater honorem dat filio.* honorem Deus pater partitur cum filio ſuo & ſpiritu ſancto, neminemque abſque illis ſaluum eſſe vult, & quo ipſe honore fungitur, in eo pares ſibi eſſe vult, nihil abſque illis operatur, omnia quç agit, agit per filium

in ſpiritu ſancto, ita vt operatio illa omnium perſonarum vna, & indiuiſa ſemper ſit. Cur ita? quod & ſubſtãtia eorum vna, eadem & indiuiſa eſt, ex vnitate ſubſtantiæ, vnitas actionis promanat, vnitas actionis vnitatem ſubſtantiæ demonſtrat. Cum igitur ſcriptura & vnum Deum & ſolum, à quo vita petenda ſit, eſſe demonſtret. Et vitam illam nemini dari, niſi qui in nomine trium, Patris, Filij, & Spiritus ſancti ablutus fuerit, & quod vnius modò Dei munus dixerit, trium mox eſſe doceat, neque quemquam ſaluum fore, niſi trium nomine ad eam ſortem aſcitus fuerit, planè monſtrat, & vnum Deum eſſe authorem vitæ noſtræ, & tres eſſe, per quorum nomen ſaluemur, atque ita & vnum, & tres eſſe, & Eccleſia Catholica, & omnes tuæ illæ etiam diſſectæ ſectæ, vno conſenſu fatentur, neque enim Deus, qui hoc dogma nobis attulit ac demonſtrauit, mentiri vnquam poteſt. Et quoniam abſurdum, & tibi, & tui ſimilibus canibus videatur, tres vnum eſſe

Ex vnitate ſubſtantiæ vnitas actionis promanat.

Deus non mentitur.

eſſe, & vnum tres, quomodo tres v-
num ſunt, quomodo vnum tres, Ec-
cleſia ſoluit, ac docet, Subſtantiam ſi- *Quomodo de*
ue eſſentiam trium, vnam & indiui- *us vnus & trinus.*
ſam eſſe, vnumque Deum, hypoſtaſi
verò & perſonis trinum. Habet e-
nim pater communem cum filio &
ſpiritu ſancto eſſentiam, hypoſtaſim
in qua ſubſiſtit propriam, quæ filio
& ſpiritui ſancto non communica-
tur, habet filius, habet ſpiritus ſan-
ctus hypoſtaſim ſuam, qua alijs per- *Proprietates*
ſonis non communicatur. Propri- *perſonarum*
um eſt Deo patri ingenitum eſſe, & *diuinarum.*
à nullo originem habere. Propri-
um eſt filio genitum eſſe, & à pa-
tre principium ſumere. Propri-
um ſpiritui ſancto, à patre & filio
procedere, quæ propriæ hypoſtaſes
illas diuinas in eſſentia coniunctas
diſtinguant, ac tres perſonas ſubſi-
ſtentes reddant. Et vnum igitur De-
um eſſe, verum eſt, & tres eſſe per-
ſonas diuinas, verum. Nam quod *Francken*
tu rides, cum dicimus, tres vnum eſſe, *ſcurilitas.*
& ad ſenſum inſenſatum tuum refu-
gis? & tribus indicatis rebus, vnam
rem

rem eam eſſe, non poſſe dici arguta-
ris, id nihil eſt, ſophiſticum eſt, & quod ſolis pueris illudere ſoleat, non ignoras philoſophos tuos, ad quorũ examen & regulas Chriſtum trahis, vnius rei rationes diuerſas ſæpè eſſe, ſi ad diuerſa referatur, vt Arrium Trinitatis damnatorem primum, & ſanum & inſanum eſſe. Sanum, quod etſi filium natum è ſubſtantia Dei patris neget, diuinitate tamen eum non expoliat, contra quam tu facis, inſanum verò, quod aduerſus aperta, & Prophetarum & Chriſti verba, quæ filium ab æterno teſtentur, & ex patre Deo natum confitentur, inſaniat, filiumque Dei ex nihilo à Deo patre factum mentiatur, ita vides & ſanum & inſanum videri, tibi collatum, & cum tuo furore compoſitum, ſanum dici, ad veritatem verò retractum, inſanum; Refer diuinitatem ad eſſentiam, vnus eſt Deus, Refer ad Hypoſtaſes, trinus eſt DEVS, quod Eccleſia magna cum authoritate teſtatur, ac aſſiduè canit, vnum eſſe Deum in ſubſtantia, trinum in per-
ſonis

Quæ ad diuerſa referuntur non pugnant.

ſonis, cui ſi tu vt cœperas pareres, ſi illum pluſquam te videre iudicares, nunquam ad eam inſaniam, in quam arrogantia tua te præcipitauit, deueniſſes, Deum vt eſt vnus in eſſentia, & trinus in perſonis honoraſſes, honorem ab eo æternum, & coronas cœleſtes accepturus, qua ſorte, quod indignum te feciſti, & Simonem Magum te reddideris, tua ſuperba mens, & ingenij tui fiducia, philoſophorum ſtulta ſapientia, inflata cauſa eſt. Sed diutius in Titulo explicando, & in hedera quam iſte Poliphemus antro ſuo, in quo Chriſtum & ſpiritum ſanctum incluſos tenet. Occupamur, ipſas arces, & Oenopolia eius ingrediamur, & quæ hedera ad limen ſuū ſuſpenſa indicat, perquiramus vina. Primum igitur præfatione ſua, ſuam in religione, vt & regionibus lociſque mutandis inconſtātiam tuetur, & cauſas cur omnibus ſectis & religionibus repudiatis, ad hanc vnam de tremēda Trinitate philoſophiam animum appulerit, non tam explicat, quā fingit, veram enim cauſam quod

Francken inconſtantiā ſuam tuetur.

quod turpem eſſe ſciat,animo concluſam cælat ac premit,hæc autem fuerit vt res ipſa,& doctrina eius,quam tradit, monſtrat: quod religionem Chriſtianam, vnà cum authore eius Chriſto, & cuſtode ſpiritu ſancto euertere, Iulianum Apoſtatam ſecutus, ſtultum Euangelium eſſe cenſet, Philoſophorum ſapientiam miratur,iugum enim Chriſti graue, & religio noſtra Tyrannis ei videtur,cum

Libertas Frā okea. ille ſit Francken, vt ego interpretor libertatis eius natura ſua appetens, quæ nullis vinculis vel præceptorum vel legum alligata ſit, quæ agat quidquid velit,credat vt velit. Mutet religionem & legem cum velit, nihil credat cum velit,aliud ſtans,aliud ſedēs, de religione & Deo ſentiat, fidem

2. Cor. 10. ſenſibus & intellectui ſuo ſubijciat, ſeruamque ei reddat, contrà quàm Apoſtolus, cum captiuandum eſſe intellectum in obſequium Chriſti & fidei,niſi quis à gratia Chriſti, & ſorte ea ad quam vocatus ſit, excidere vellet,docuit.Neque enim noſter hic Fran.ken Paulo parere vult. cuius & Chri-

& Chriſti doctrinam in Lycæum & Academias trahit, ſæuereq́ue in eam animaduertens, vt ſtultam & intellectui aduerſam damnat, & ſcopis è ſua illa ſapientię plena profligat ſchola. Et quidem hæc eſt vera, quam etſi verbis tacet, re tamen ipſa demonſtrat, ſuę à religionibus omnibus diſceſſionis cauſa, nihil huic libero Fräcken in religione Chriſtiana placet, nullam ſectam, nullam Eccleſiam inuenire ſe poſſe teſtatur, in qua libertas Chriſtiana, quæ vera veritatis magiſtra ſit, quæ crudeli Tyrannorum imperio viciata, & in ſeruitutem redacta non ſit, & propterea Romanã vt barbaram, Lutheranam vt ſeruam Caluinianam, vt Tyrannidem meram ſe reliquiſſe ait, aliam, cuius ideam animo conceptam haberet, ſe quidem ſedulò toto orbe terrarum quærere, inuenire tamen nõ potuiſſe propterea quod omnes illæ, quæ ſunt vt ille ait, fuerunt, & erũt religiões, in fũdamẽto erroris pleno, & planè horrẽdo idolo extructę ſint, ſe igitur verã cõſtantem & inter oẽs conſentientẽ,

ac

ac concordem conformaturum denunciat, quæ ne vlla fraude Theologorum contaminetur, Ariſtotelem pro Chriſto, alioſque Philoſophos pro Paulo & Apoſtolis ei ędificio ſuo adhibiturum, & omninò ad amuſſim illorum fabricaturum promittit, ſed ipſe potiùs ſua conſilia de religione fabricanda exponit. Adoleſcens inquit, adhuc ex ſola educatione Lutheranus, necdum Critiria religionis intelligens, in Ieſuitarum delatus ſum labyrinthum. In graue certè periculum veneras Francken, Minothaurus tibi imminebat, res plena metus & periculi erat, ædificium illud perplexum, ambagibus plenum, & inextricabilis error eſt, non facilè retro redire inde datur, in magno diſcrimine eras, præſertim filio Ariadnes, & critirijs religionis deſtitutus, quid igitur? ibique decem annos voluntaria animi ductus cœcitate, cum oberraſſem, nõ paruo equidem tempore abſque critirijs tuis in perplexa illa æde, ſub terribili tyranno Minothauro hæſiſti, morte ſæuiſſima ob oculos

Fundamentũ religionis Francken.

Francken decem annos in ſchola Societatis Ieſu latuit, proditor futurus.

oculos tuos ſemper verſante, denteſque Minothauri tibi oſtentante, ſed perge labyrinthum aperire, & quomodo inde effugeris, explica: Senſi, inquit, quàm ſtultum eſſet, maximã vitæ partem in cæremonijs philoſophari, quæ nullam aliam certitudinẽ haberet, niſi ſtultam credulitatem, quaſi diuina factam voluntate, authoritateq; ſapientiam, macte Francken, lucrum magnũ in labyrintho feciſti, Critiria religionis quæ ignorabas dum eò intrares, cognouiſti, ac currit Ariadne filum tibi dat, cuius ductu te è periculis ambiguè domus explicares, ac è Minothauri faucibus te eriperes, agnouiſti, ſtultum eſſe in cæremonijs philoſophari. Vidiſti cæremonias nullam certitudinem habere, niſi ſtultam credulitatem, magna equidem ea ſapiẽtia eſt, magnum acuminis Critirion ingenij tui: Felicem te Francken, cui omnia in bonũ cooperantur finem. Carcer ille labyrinthi, erroris plenus, veritatem tibi monſtrauit, ingenium tuum illuſtrauit, Critiria religionis te docuit, cæremo-

Francken in ſchola Societatis Ieſu ſapere cœperat.

remonias, vt ſtultam credulitatem negligeres, monuit, nullumq́; locum in eis extruendis diuinæ ſapientiæ relictum eſſe tibi iuſiurauit. O prudentiam labyrintheam, ô fœlicem carcerem, qui ignaros Critiriorum religionis in lucē veritatis inducat, quod Lutheri ſchola te docere non potuit, labyrinthus docuit, oculoſque tuos, vt ambages cæremoniarum videres, aperuit. Vtinam Francken in eo labyrintho, vel viginti annos, vel perpetuo manſiſſes, vtinam te inde non eieciſſes, multò maiora & plura Critiria veritatis in eo carcere didiciſſes; & è vinculis illis, ad Regni cœleſtis gubernacula, vt Ioſeph ad Aegypti, productus fuiſſes. Fœlix carcer Ioſephi fuit, fœlicior tuus fuiſſet; quod illi prædiorum cura, tibi Regni cœleſtis diſpenſandi data fuiſſet poteſtas, cœcus in labyrinthum intraſti, critiria religionis non vidiſti, at in labyrintho lumen tantum tibi affulſit, tantam ſcientiam religionis ibi conſecutus es, vt inde elapſus veram religionem ſolus nos docturū te iactes,
ſcili-

ſcilicet nouus Prometheus illum diuinum ignem facula rotæ Solis admota ſuffuratus mundo lucem attulit. Sed audiamus labyrintheos huius ſermones: Quamobrem, inquit, contempta infinitarum matre cæremoniarum Romana Eccleſia, totam Lu theranorum & Caluiniſtarum perluſtraui in Germaniæ & Galliæ finibus religionem, dilig~eter quærens omni errore ſuperſtitioneq́ue vacuam aliquam religionē. Pape, qui cœcus in labyrinthum delapſus eſſet, tantum lumen in eo conſecutus eſt, vt relicta Eccleſia Romana matre cæremoniarū, quæ veritatis inanes eſſe critiria la byrinthea illi demonſtraſſent, Luthe ranos & Caluinianos Doctores oēs adeat, regiones excutiat, & nuſquam veritatem ſe vidiſſe narret, errores & ſuperſtitiones earum deprehēdat ac damnet. Vide quam labyrinthus ille eum ſtrenuum reddiderit, Germaniarum Eccleſias omnes, & Galliarum percurrit, vacuam & ſuperſtitione perquirit religionem, omnes falſas vanaſq́; eſſe cernit. Laudo Francken,

Francken quā ſtrenuum

& acumen iudicij tui in perſpicienda religione, & ſtrenuitatē tuā in percurſandis regionibus. Vides Francken vt Roma egreſſus fueris, veram religionem in Germania te non inueniſſe, omnia erroris plena vides, è Romana enim Eccleſia egreſſi, in infinitos errores feruntur, & via veritatis amiſſa, in tenebras mendaciorum prolabuntur, nec vnquam ad veritatis lucem peruenire poſſunt. Felicior certè ingreſſus tuus in labyrinthum fuit, quam fuga inde tua: in labyrintho Critiria religionis tibi vltrò occurrerunt: Fuga inde, in perpetuos errores te traxit, redi rogo, redi in labyrinthum, vt maiora Critiria veritatis apprehendas, atque ex erroribus, quorum omnia plena vbique eſſe ais, te euoluas, ne in eum labyrinthum, qui diabolo & Angelis eius conſtructus eſt, delabaris, ignibus æternis cruciādus eo te furiæ, quæ te ſerpentibus & facibus armatæ inſequuntur, & in venerandam & tremēdam Trinitatem te concitant, trahunt. Et certè videbatur Chriſtus te errantem, & ſe negantem

Francken relicta ſchola ſocietatis Ieſu, ſapere deſijt.

gantem

gantem, vt Petrum reſpexiſſe, gallorumque cantu, cum veram religionẽ quæris, erroris monuiſſe, quod extra eccleſiam Romanam quæ vna eſt vera, veritatem quærcres, cœperas ad te redire errorem que tuum deplorare, relictis illis errorum plenis, & Chriſti veritati ſuis callidis & peruerſis interpretationibus, & ſcriptura contorta illudentibus, Chriſtique os in cœna panem & vinum Apoſtolis danti, & corpus ſuum & ſanguinem, dicenti alapis cædentibus, mendacemque & blaſphemum cum Caipha claman tibus, ſathanæ miniſtris: ad labyrinthum vnde effugeres, & ad Romanã Eccleſiam, omnis veritatis matrem redibas, quod te feciſſe, & tu ipſe nũc teſtaris, & epiſtola quam ad Societatem Ieſu te ſcripſiſſe, quamque acerbam Euangelicis fuiſſe profiteris, demonſtrat, quamquam tu tibi eam caſu excidiſſe potius, quàm iudicio tuo emiſſam eſſe dicas, quod argumento tibi ſit Francken, quam periculoſum ſit, Romanam Eccleſiam relinquere, in ea lumen & Critiria religio

Sacramentarij Chriſtum crucifigunt.

Eccleſia Romana veritatis mater.

niſ conſecutus fuiſti. De religione, de cæremonijs iudicare potuiſti, nunc in tanto errore te agnoſcis eſſe, vt quid ſcribas, non queas videre, perdidiſti Critiria tua, diſceſſit à te lumē ingenij tui, tanquam à Saul ſpiritus ſanctus, in cuius locum tantæ tenebræ ſucceſſerunt, adeò, vt etiam quid tua Epiſtola contineat, nō videas, nihil conſilio, nihil cum iudicio agas, caſus & ignorantia tibi dominātur, & quæ nolis, ſcribere te cogunt, ſpiritus nequam oculos tuos claudit, ne myſteria & veritatem venerandæ Trinitatis videas, os tuum vt tremenda myſteria blaſphemes, & vt furioſus canis in tuum creatorem impetum facias, dentes impietatis tuæ in eum exacuas, te cogit. Quod igitur lumen ſpiritus ſancti, in labyrintho Catholicæ religionis in mente tua illuxerat, extinctum eſt, quid deinde? nec apud Lutheri ſectatores, nec apud Caluiniſtas inuenta vera religiōe, ait ſe conſilium cœpiſſe redeundi ad eam, quam cōtempſerat Romanam, quod minore ſeruitute apud Pontificios

Sathā eſt Frā- cken verſat.

ficios promeretur, & propterea de re conciliandis ſibi pontificijs conſilium cœpiſſe, & Epiſtola qua errorem ſuum damnaret, & ſe vt ouem perditam reportari, in ouile Chriſti Societatis IESV peteret, Caluinianos & Lutheranos execrans, publicè ſcripſerat, ſcilicet Critiria religionis recuperauerat, errorem agnouerat, religioſam palinodiam cantabat, ſed vide quid mox egerit, vt canis ad vomitum, & ſus ad volutabrum ſuum redijt, palinodiam ſuam damnauit, ac conſilium ſanum ad Pontificios redeūdi abiecit, oſtēſa nimirum homini ventoſo ſpes nonnulla aut libertatis elatrandi quod vellet, aut lucri, aut honoris erat, Principatus enim Chriſtianus iſte cupidus eſt, ad quæſtum & ambitionem ſtudia ſua & religionem vertit. Et vt Simon Magus dona ſpiritus ſancti venalia eſſe vult, igitur religioſam illam, & palinodicam Epiſtolam, à ſe emiſſam, & ſe ignaro æditam damnauit, ac quos offenderat Lutheranos, & Caluiniſtas, falſá eorum religione

Francken ad errorem reuertitur.

Francken dānat ſe, quod ſapere ceperat.

 dam-

damnata, reconciliare contendit, & quod modò dixit, negauit, quod improbaſſet, probauit. Ita enim huic religiones obſequuntur, vt cum ille velit, veræ ſint, cum velit, falſæ, nutu eius, & veritatis, & mendacij vultum induant; atque vt acerbitatem illam Euangelicorum temperaret, exaſperatoſque animos leniret, imprudentiam ſuam & temeritatem excuſat, oblito ſibi excidiſſe eam Epiſtolam ait, quam obliuionem ſibi peperiſſe hominum nondum perfectorum, inter quos viueret conuerſationem, ſe tum demum prudentem fore, cum in conſortium angelorum venerit, vbi quæſo Francken acumen ingenij tui? Vbi Critiria illa tua? prudentem & memorem labyrinthus, in quem delapſus eras te fecerat, quæ in ſocietate Ieſu vidiſti, audiuiſti, egiſti, quæ cum Paulo etiam tuo locutus de religione, & inſtitutis ſociorum Ieſu fueris, memoriter inde profugus nobis enarraſti, ac ſermonem eum litteris mandatum, epiſtola ad Deum ei præpoſita miſiſti, ac in cœlos perferendã curaſti,

Calliditas Francken.

Epiſt. Francken ad Deũ.

curaſti, ſcilicet cum Angelis tum viuebas, obliuiſci, perfecta eorum virtus nihil te patiebatur, vim memoriæ roborabat, quam imperfectorũ hominum fragilitas labefactaſſet, im perfectionem Francken, hominum cum quibus viuebar, errori ſuo prætexit, & culpam alio transfert. Dic quæſo vir acute, cum quibus nunc verſaris, num nam perfecti ſint? equidem dices perfectiſſimos eſſe, eò enim cũ ſua ſapientia progreſſi ſunt, vt nihil credant, non ſolùm religionum ritus & cæremonias damnent, verumenimverò DEVM omninò negent, damnatoq; Euangelio vnà cum Chriſto, Pauli & Apoſtolorum doctrina, & ſcriptis reiectis, ad primam illam Materiam Ariſtotelis, & Priuatiõẽm mentem ſuam verterint, ſcilicet mẽte priuati: Habes perfectos homines cum quibus viuas, qui memoriam tuam, & ingenium tuum perfectum reddant, materiam primam, quæ nihil eſt, tibi ſpectandam, & intellectui tuo ſubijciant, formandam: Eſt enim vt tu etiam doces, informis, hoc verò eſt,

Francken cũ perfectis hominib. viuit.

tò eſt, nec quid, nec quanta, nec qualis, ſi tuo Deo Ariſtoteli credamus, eſt, quam tu ita conformaſti, vt inde ſcalas, tibi vltra etiam cœlum ſcandendi, vt ens illud purum, perfectum, infinitum, à quo omnium eſſe depēdeat, videres, fabricatus es, cum Epiſtolam Palinodicam illam, & religioſam ſcriberes, nondum eras perfectus, adhuc veritatis & metus diuini in te aliquid erat, quod perfectionem ſapientiæ iſtius, quæ nunc in te lucet, impediret, quibus impedimentis, veritatis & religioſæ mentis, vt fece purgatis, ad eam perfectionem conſcendiſti, vt nihil credas, vt cœlo bellum robuſtiſſimus Gigas inferas, Deum patrem filio & ſpiritu ſancto ſpolies, & truncum in ſuis ſedibus, enti illi tuo, quod tibi Ariſtoteles extra cœlum monſtrauit, ſubiectum relinqueres, ac Trinitatis idolum euerteres, egregiè profeciſti in tua iſta Philoſophorum ſapientia, ad ſummam perfectionem deueniſti, omnes leges, cæremonias, ritus, ipſum denique Deum abieciſti, totius impietatis ma-

Franckenteur non erat perfectus.

giſter

giſter factus es. Sed vide vir acute, & in perpetuo errore conſtantiſſime, Eſtné tuæ perfectionis, vt quod modo probaueris, improbes ſtatim, quod damnaueris laudes, ac ad omnes opinionum, furoriſque ventos te commutes, dixiſti modò te conſilium cœpiſſe ad Romanos redeundi, quod paucioribus incõmodis in ea Eccleſia premi te videris, Caluinianæ & Lutheranæ religionis exaggeraſti tyrannidem, ac præ ſeruitute illa, earum ſectarũ, Romanæ Eccleſiæ iugũ tibi leuius, multo viſum fuiſſe fatebaris, nunc rurſus maiore crudelitate Pontificios eſſe barbaros, quàm Caluiniſtas & Lutheranos clamas, & ex eodem tuo iſto impuro ore ſimul calidum & frigidum efflas, & ad omnem flatum, vt arundo commoueris. Eſt ſanè aliud quod tu in religione quæris, non veritas, nec ſeruitus, te huc & illuc impellunt, ſed ambitio principatus: quod fuit Lutherus & Caluinus apud ſuos, tu idẽ eſſe vis, & Lutheri Caluiniq; nomine obſcurato, doctrinis eorũ à te exploſis,

Franckenidem ait, idẽ negat.

antho-

Prancken thoritate eorum euerſa, Princeps in
Princeps inter hereticos vult eſſe. falſa illa, quod in vera nequeas, Eccleſia vis eſſe, tuumque nomen, & tua illa Epichcremata acuta ſplendere vis, quod quoniam non niſi nouo genere doctrinæ & religionis noua facie efficere te poſſe vides, relictis omnium omnibus religionibus & ſectis, nouam quod illi minus auſi ſunt, inſtituis blaſphemiam, illi Diuis honorem, tu Chriſto Ieſu ademis, illi ſtatuas ſacras, & imagines in templis locatas idola vocabant, tu ipſam Trinitatem horrendum idolon eſſe clamas: noua hæc doctrina tua, noua religio, quæ non niſi atheiſmi nomine appellari poteſt. Hæc ſunt, propter quæ tu totum per orbem currens quæris: quæſtus & ambitio te vexant, Princeps Doctor eſſe cupis, quod quoniam nuſquam alias cõtingere tibi po-
Prancken vndiq; eiectus. tuit, in Poloniam te, vndiq; eiectus, proſcriptus, profligatus, conieciſti, Lublino, quo vt in emptorium impietatem tuam proſtiturus excurrẽs, nundinatione fruſtratus, relicto: Cracouiam ſedem Regni ingreſſus, rugire vt

re vt leo cœpiſti, idolon venerãdam & tremendam Trinitatem appellaſti, fundamenta omnium religionũ te euerſurum denunciaſti, ac tuæ perfectæ ſapientiæ librum edidiſti, viruſque in Deũ patrem filiumq; eius, ac ſpiritum ſanctum euomuiſti, vbi cũ alterũm hominum, quam tu putaras ſenſum & conſenſum, præter aliquot fugitiuorum, reperiſſes, tibiq; cum tua religione, & libris tuis ignes parari potius quàm aurum, vel ſenſeris, vel conieceris, relicta luce vrbis huius, in tenebras neſcio quas, te cõieciſſe diceris, in quibus lumen ingenij tui, & nouę doctrinæ eluceret facilius, vt inter luſcos, quod dici ſolet, regnes ſtrabus; nam ferunt te ludum impietatis tuæ, ibi aperuiſſe, & in apſide loci eius conſediſſe, ſcilicet quod in obſcuro loco malis eſſe aliquid, quam in luce hominum nihil. ſcilicet Cæſarem Iulium, qui in oppido à militibus irriſo, dixit: ſe malle primũ eſſe, quam Romæ ſecundum imitatus. Hanc tu libertatem, hoc eſt, imperia in alios dum animo coquis, omnes

Blaſphemia Francken.

Dogma Francken ſolifugitiui probans.

nes religiones barbaræ, crudeles, & tyrannis ipſiſſima tibi videntur, ſubeſſe alijs, tibi carcer eſt, repudiatis igitur omnibus, nouum regnũ tibi condis, ad nouæ libertatis pileum diaboli mancipia euocas, & quoniam alij alias poſſeſſiones religionum occupauerunt, vt tibi vbi ſedes poneres, nihil ſuperſit, eám partẽ regni Chriſti, quam omnes ſectæ indiuiſam, & & omnibus communem reliquerunt, inuaſiſti, Chriſto vt iniquo poſſeſſori eius, diem dixiſti; niſi cedat, tuis armis à ſophiſtarũ magiſtris corrogatis, te eum deiecturum minaris: ſpiritum ſanctum, ne aſpirare quidẽ ad eam poſſeſſionẽ pateris, & ne quẽ honorem fructumq́; ex eius prædijs veneranda Trinitas capiat, reſiſtis, idolon vocas, & te pleno ore effecturũ crepas, ne ampliùs Trinitatis idolon ſectæ diſſectæ colant, & ne in eius dogmate tuendo conſtantes ſint; poſuiſti vaniſſimum os tuum in cœlum, blaſphemando Deo, & myſterijs arcanis venerandæ Trinitatis irridẽdis, noua regna tibi ſtruis, vt ea nouitate homi-

Francken diſciplinam nõ fert.

Impudentia Francken.

Conſilia Frankens.

homines cõmoti ad te accurrãt, ingenij tui acumẽ mirentur, te ſolũ quod alij non poterant, vidiſſe clament, & te ſolum oculos in lucem illam diuinam, in quam ne angeli quidem proſpicere audent, intuliſſe, Chriſtum filium Dei, & ſpiritum ſanctum falsò Deum dici deprehendiſſe, Trinitatẽ idolon cognouiſſe ſtupeant, tibique tam acuto & ſolerti viro palmam, reiectis omnibus ſectarum authorib⁹, vt ſtupidis & bardis, dent, & ſceptrum Eccleſiæ ſuæ tibi tradant, ac in abſide te vnum locatum ſuſpiciant, & pro ipſa Trinitate te idolon nouũ venerentur. Habes libertatis tuæ, quam vbiq; premi clamas, rationes: expendamus cætera: bis te peccaſſe in eadem præfatiuncula video, confiteris primum, quod Romanam Eccleſiam reliqueris, quod tuum peccatum tum te agnouiſſe fateris, cum Lutheranorum & Caluinianorũ tyrannidem expertus, ac iugum eorũ, quod ceruicib⁹ tuis imponebant, cũ Romano, quod deieceras, cõtuliſti, ac Romanũ multò leui⁹ eſſe videres. *Dux peccatũ Francken.*

Quare

Quare peccato tuo & errore agnitò, pœnitentia ductus, reconciliari tibi Pontificios ſtuduiſti, Epiſtolam teſtẽ pœnitentiæ tuæ ædidiſti, & palinodiam religioſam ceciniſti. Secundò verò cum Palinodiam tuam irreligioſam eſſe, & inſcio tibi elapſam dicas, ac te ea in re grauiſſimum ſcelus admiſiſſe fateris, & facinus tuum damnas, & ex omnibus tuis maximis peccatis, hoc maximum eſſe, & tale tantumque, propter quod enim & humana & diuina gratia priuari meritus fueris, teſtaris: Hæc enim tuæ iſtius Simoniacæ & Iudaicæ pœnitentię verba ſunt, pœnitentiæ te pœnitet. Lux quæ oculis tuis adlapſa erat, tibi tenebræ videntur, redeuntem ad te ſpiritum ſanctum, quæ contemptus Romanæ Eccleſiæ, ac fuga illa labyrinthi à te amouerant, noua tua iſta

Stulta penitẽtia Francken

pœnitentia repuliſti, & lumini veritatis, tenebras illas externas, ad quas tibi ſimiles omnes reijciuntur, antetuliſti, & pœnitentiæ Sacramentum in fel amaritudinis cum Simone Mago vertiſti, & laqueum cum Iuda

collo

collo tuo indidiſti, hoc enim genus pœnitentiæ illi ſecuti erant. Agnouit Iudas facinus ſuum, retulit pecuniam ad ſacerdotes, peccaſſe cum lachrymis ſe teſtabatur, ſanguinem innocentem ſe vendidiſſe, & Saluatorem ſuum tradidiſſe palàm clamabat, ac ſeipſum damnabat, quod tu idem relicta Romana Eccleſia ſcelus admiſiſſe, & veritatem Caluiniſtis & Lutheranis prodidiſſe te confiteris, & religioſa illa tua palinodica Epiſtola palàm teſtaris, ſed vt Iudas non diutiùs pœnitere potuit, vel deſperatione veniæ; vel eadem qua ad tradendum Chriſtum inductus eſſet malitia vrgente, repudiato pœnitentię remedio, ad lignum decurrit, vitamq; finiuit, ac medius crepuit, ita tu in lumine pœnitentiæ tuæ manere non ſuſtinuiſti, vel quod tibi homini perdito, regreſſus ad ſocietatem Ieſu, quam ſuperbè contempſeras, quam ſcriptis tuis falsò traduxeras, & mendaciorum Myriadas in eam effuderas negarentur, vel quod perditam tuam nequitiam à ſathana obſeſſus,

Cur in penitentia non perſeuerauit Francken.

Falsò traducit ſocios Ieſu Francken.

vincere nequiſſes, à luce illa veritatis agnitæ, in tenebras mendaciorum tuorum, & blaſphemiæ impietatiſq; in Deum, te tranſtuliſti, ad vomitum tuum vt canis & ſus ad volutabrum redijſti, vt deinceps elabi illi non queas, ſed in arbore illa infœlici blaſphemiæ tuæ ſuſpenſus, pœnas me ritas perſoluas, & medius crepes, infœlicemque animam tuam, ſathanæ magiſtro tuo æternis ignibus cruciandam tradas, vnaque cum Iuda in fundo barathri voluaris, egregiè & Iudam, & Simonem Magum effingis. Videbatur & Magus à Petro caſtigatus reſipere, poſtulabat vt Apoſtoli pro illo orarent, ſed mox ab eo remedio ſceleris ſui, ambitione illa ſua & auaritia infinita abreptus, fidem quam receperat, abiecit, gratiam perdidit, ad veneficia ſua & Magicas artes reuerſus, ſpiritu illo maligno, qui credente ſe in Chriſtum, diſceſſerat cum ſeptem peioribus ſpiritibus recepto, multò perditior & immanior factus, Chriſtum Ieſum cum ſua doctrina oppugnare non deſtitit, ac do-

Simon nō perſtitit in pœnitentia.

dolis ſuis hominibus illudens, multorum in ſe oculos vertit, & eò inſaniæ prouectus, vt volare auderet, ſeque cœlum conſcenſurum inclamaret: quod tu idem facis, Chriſtum cũ Euangelio & Apoſtolis exterminas, mediationis officium ei aufers, Deum eſſe negas, ſpiritum ſanctum, qui te deſtituit rides, Trinitatem idolon horrendum vocas, ſcilicet ſpiritu illo immundo, qui à te in ſchola illa pietatis & Societatis IESV, quam tu impudenter labyrinthum vocas, diſceſſerat, cum ſeptem alijs deterioribus ad te reuerſo, & in corde tuo, quod ſcopis doctrinæ Catholicæ purgaueras ſe iactante, & te vt os in cœlum ponas, venerandam & tremendam Trinitatem, vt Cerberus allatres, vt vrgente ambitione, & ſtudio inanis gloriæ in altum elatum, & volantem te ad ima detrudat, membraq́; tua, vt Simonis Magi cõfringat ac cũ Iuda te rumpat, ignibuſque ſuis tradat, & illis quorum impietatẽ imitaris in fundo Baratri ſocium ſuppliciorum

Simon alis ab ſumptis pedes perdidit.

Francken à dæmonio obſidetur.

rum reddat. Hic enim tuæ iſtius poſterioris pœnitentiæ, & damnatæ palinodiæ fructus te manet, amiſiſti omnem & hominum & Dei gratiam, ac in te ſententiam ipſe tuliſti, caputque tuum diris deuouiſti, neque homines te diligere poſſunt, horrendis tuis blaſphemijs in Deum offenſi, nec Deus pater aſpicere vult, qui neminem niſi à filio ſuo Chriſto Iheſu oblatum recipit, & neminem niſi cui Chriſti Ieſu, mediatoris noſtri, vitæ noſtræ, ſignum impreſſum viderit, reſpicit. Nemo, inquit Chriſtus, ad patrem venit, niſi per me, at tu Chriſtũ ab hoc officio mediationis, & offerendorum hominum Deo patri remouiſti, & planè eum abnegaſti, beneficium eius non agnoſcis, alias vias ad Deum patrem affectas, quem conuitijs tuis conſcindis, cui honorem nullum habes. Qui enim non honorat filium, non honorat & patrem, itaque nullus aditus tibi ad gratiam diuinam, totus es mancipium diaboli, & hęres ſuppliciorum, igniſque æterni eius. Habes ſententiam,

Negantib filium acceſſus ad patrem nõ datur.

Ioan. 14.

Ioan. 5.

qua

qua tuum caput damnaſti, & orco merſiſti. Habes præmia blaſphemiæ tuæ, in venerãdam Trinitatem: nam quod remedia erroris & ſceleris tui fingis, & facinus tuũ in hoĩm vim, & &tyrannidẽ grauem (quã falsò eis impingis.) transfers, id totũ nihil eſt, totum mendacium à te artibus tuis effictum, aut ſi quid eſt ad Caluinianos maximè querela iſta tua pertinet, in eam te ſcholam repudiata Roma cõiecceras, dogma eius de corpore & ſanguine Chriſti, & ratione Euchariſtiæ amplexus es, panem & vinum ſigna tantũ corporis & ſanguinis Chriſti fidelibus dari, non verum corpus, non verum ſanguinem docuiſti, ac munera illa, cœnæ vltimæ Redemptoris noſtri præter omnem ſenſum, & opinionem, fœdis illis tuis paradoxis fœdaſti, in quo tuo ſermone, præter opiniones hominum inſtituto, non tam diſputare, quam in myſteria Chriſti ſpuere, vel potius virus tuum vomere videris. Quid enim præter opinionem noſtram attuliſti, prȩterquam cum te ſanum exiſtimarũt

Francken caput ſuum deuouit.

Paradoxa inſana Franckẽ

homines,furentem & inſanum, impurumq́ue hominem viderent, quibus ſordibus tuis alio loco reſpondebimus,& quam calidus fueris in veritate corporis & ſanguinis Chriſti euertenda oſtendemus. Nunc ad querelam tuam redeo, Ais vim tibi factam,& te inuitum peccaſſe conquereris, Ego certè inquis in hoc peccatum lapſus non fuiſſem, ſi hoīm animis ſuapte natura liberis nulla vis inferretur,ſed quod quiſque ex ſacris literis fide perceptum tenere poſſit, hoc illi apertè,ſi non profiteri,ſaltem liberè præ ſe ferre,ſine famę fortunarum,& vitæ periculo liceret, nunc verò tanta eſt in orbe Chriſtiano ſeruitus, quantam nullus vnquam immaniſſimus Ethnicus tyrannus optare auſus: grauis tua Francken iſta eſt querela, tantam tyrannidem expertus es inter Chriſtianos,vt immanes quoſuis Ethnicos tyrannos in ea exercenda tranſcendant. Quam quidem acerbitatem inter Pontificios,quorum gratiam recuperabas, & palinodiam religioſam apud eos cantabas:

Querela Francken.

tabas: in tantum peccatum lapſus es, ob quod ſolum omninò diuina, & humana te priuari gratia dignus eſſes, dum teſtaris lapſum te eſſe, exclamas, Caluinianos, quorum acerbitate coactus, ad pontificios cogitabas placaturus. Quorum ſimul & gratiam, damnato conſilio tuo ad Romanos redeundi veneris, & tyrannidem ita accuſas, vt immanitate ipſa immaniores eos eſſe dicas & arte tua, quos damnare inſtituiſti, quoſq; peccati tui authores, reos facis, in eorum animos illabi aſtutè cõtendis, flas ſimul & ſorbes, vt eodem momento, quàm vanus, quàm futilis, quã mobilis ſemper fueris demõſtres. *Calliditas Franckeni.* Quid tibi acutè diſputator in mentẽ venit, vt quos amicos tibi paras, eos acerbè inſecteris, & tyrãnidis immanitatiſq; notis compungas, ſed acumine tuo miſſo, immanitate iſtorum te in tam graue peccatum præcipitatũ eſſe, doleo multũ. *Stultitia Franckeni.* Certum eſt enim te extra omne crimẽ eſſe, ſed dic nobis, quis te in eam ſectam præcipitauit? quæ vis hominum adegit, vt

eam religionem potiſſimum Romæ profugum amplecti oportuerit, nulla vis tibi fiebat, tua ſponte eo veniſti, Religionem & libertatem eorum ſpontè appetiſti, arma eorum aduerſus pontificios, te induiſti, præter etiam eorum ipſorum opinionem, & præter quam illi probarent, aut vellent, effudiſti, & impudentiam eam, quæ illis adhuc ignota eſſet, eos docuiſti, argumentumque eis dediſti, te omnes eorum Doctores & impudētia & impietate ſuperaturum. Et non ſolum tecta Eccleſiæ veræ, ſed etiam fundamenta eius euerſurum, Chriſtumque cum ſpiritu ſancto aggreſſionibus illis tuis, & ſophiſtarum captioſis argumentis alligatos cœlo detracturum, quam impudentiam illi tuam cum viderent; & quod ſcelus quamque impietatem animo volueres, impetus tuos credo eos voluiſſe retardare, certam ibi Regulam & rationem credendi propoſuiſſe. Extra cuius limitem te progredi vetarent, quod tu factum eorum, tyrannidem illam immaniſſimam eſſe iudicaſti, liber-

Quid egerit in paradoxis.

Cur tyrannos appellet religionum Præſides.

libertatem, quam animo tuo natura ipſa inſeuiſſet, arctari non tuliſti, & liberiorem te apud Pontificios fuiſſe recordatus, ad eos redire, & placatos tibi reddere cœperas, vt ſeruitutem Caluinianam effugeres, & collo tuo impoſitum abijceres. Quod quidem cōſilium tuum, & palinodiam tuam ſcelus grauiſſimum ais eſſe, ad quod tamen te non ſpontè prolapſum, ſed immanitate quorundam hominum credere te vt velles, nihilque de Deo ſentire prohibentium coactum narras, & à te crimen aliò transfers. Et quidem cum audiant illi, te ſcelus eſſe iudicare, conſilium ad Romanam Eccleſiam redeundi, confeſſionem tuam eos probare non dubito. Hoc etenim illi grauiſſimum ſcelus iudicant, pontificios vt hoſtes veritatis & veræ religionis damnant, vt cum animum aureſque ſuas ad eam partem orationis, quæ eorum immanitatem & vim, te in tantum peccatum impuliſſe teſtatur, miror te ab illis nō ſtatim ad ſupplicium abripi, quis enim eis Francken adiungi, quis ſe in

eorum religionem præcipitari patie-
Franckeri Caluinianos grauiter accuſat. tur, ſi vera ea eſſe, quæ tu de Tyranni-
de eorũ refers homines crediderint.
Ego ſanè, ſint nec ne ita immanes nõ
inquiro, penes te, qui aliud ſtans, ali-
ud ſedens loqueris, authorem fides
eſto, illud ſcire velim, quæ illa liber-
tas animorum noſtrorum ſit, quam
naturam nobis largitam eſſe ais? Ci-
Cic. in paradoxis. cero equidem è Stoicorum ſenten-
tia, libertatem definit, poteſtatem vi-
uendi vt velis, quam poteſtatem tibi
ab eis eripi miror: Cum nemo alius
ante te, hoc nomine de illis queſtus
fuerit, nulla religio, nulla ſecta, quen
quam cogit, vt quod illa præſcribat,
cogatur quis recipere & ſeruare, da-
tur poteſtas legis & religionis vel re-
cipiendæ, vel non recipiendæ, quam
Turcarum diſciplina. etiã libertatem, apud immanes Chri-
ſtiani nominis hoſtes Turcas integrã
ſeruari non ignoramus, cogũt nemi-
nem, vt Chriſto abnegato, in ſuam le
gem iuret, libertas credendi cuiq; re-
linquitur, atqui ſe eò vel conſilio cõ-
iecerint, vel temeritate præcipitaue-
rint, etſi ſecundum leges gẽtis eius li-
beri

beri ſint, & ea quæ volunt agant; tamen ampliùs repudiandæ religionis violandæve poteſtas illis non datur, intra metas religionis illiſus ac legũ eius viuere coguntur, terminos religionis tranſgredi non poſſunt, quicunq; alicuius ciuitatis iura receperit; eiuſq; ciuis factus fuerit, leges eius ſeruare tenetur: ſi quid contra ius, legumque authoritatem libertate abuſus commiſerit, mulctatur, iuraq; violare vetatur, vinculis, damnis & alijs pœnis cohercetur. Liberũ cuique eſt, hoc vel illud genus vitæ deligere, hanc vel illam religionem recipere, at cum ſemel elegerit, non datur illi poteſtas violandi eius leges & inſtituta: Machometum & religionẽ eius approbaſti, liberum tibi erat approbare improbareue, at ſemel receptam non patientur illi te aut deſerere, aut violare leges, & præcepta eius religionis, quam probaſti. Nec Moyſes nolentibus leges impoſuit: ſcriptas omnibus legit, placerent nec ne, quęſiuit, ſi probarentur illis, vt reciperent, receptas inuiolatè ſeruarent, mo-

Receptam religionẽ non licet violare.

monuit, liberamque poteſtatem eis, vel recipiendæ legis Dei, vel repudiandæ dedit, quam cum probaſſent, cum recepiſſent, & in verba eius iuraſſent, repudiandæ eius nulla facultas illis relicta, nemo ſine graui ſcelere & ſupplicio diſcedere & præuaricari potuit, graues pœnæ ab illa gente ſæpè exactæ ob violata Moyſi inſtituta, quod erat liberum recipere, nõ erat liberum repudiare, & alia dogmata ſerere; liberum erat Iſrael Regem vel recipere, vel non recipere: at receptum non licebat repudiare, vt nos hiſtoria Samuelis, & aliorum docet, nemine tibi inſtante, nemine nullam vim tibi faciente, Chriſto nomen dediſti, Romanæ Eccleſiæ inſtituta probaſti & in ea Eccleſia, tanquam in ciuitate libera cenſeri voluiſti, leges eius recepiſti; & in verba eius iuraſti liberum tibi erat, poteras è Lutherana tua inſtitutiõe, quò velles te vertere, liberè ad põtificios veniſti, religionẽ virorũ vitę & doctrinę probatæ Societatis Ieſu recepiſti, in diſciplinam eorum te dediſti, & te vl
trò

trò legibus eorum ſubieciſti, libertatis hoc tuæ fuit, at vt in quam receptus es ciuitátem violes, vt prodas, vt oppugnes, vt leges euertas, inſtituta contemnas, diſciplinamq́ue turbes, hoc tibi non concedetur, vt nulla ciuitas ſine legibus eſt, quibus homines in officio contineantur, quæ pacem tueantur, quæ iuſtitiam foueant, inſolentes coherceant, ita nulla religio eſt, abſque legibus ſuis & inſtitutis, ſecundùm quæ eius religionis homines viuant. Habet Romana, quæ ſola vera eſt, & Catholica illa Eccleſia, quæ ſola veritatis mater & cuſtos eſt, leges ſuas habet, fidei certam & perpetuam conſtantemq́ue formam, ad quam vt ad lydium lapidem, fidem cuiuſq́ue ciuis ſui exploret, nec ab ea quenquam qui in eam adſcriptus fuerit, diſcedere patitur, qui vel ſua inſtituta violat, vel nouas leges illi fert, qui noua dogmata, nouam fidei rationem fingit, eum vt benigna mater primum monet, ab errore reuocat, errare non patitur, & vt errantem ouem ſuis humeris, extra

Romana Eccleſia veritatis mater.

tra

tra ſepta ouilis egreſſam reportat, deinde ſi inſoleſcat, ſi ſua monita negligat, leges eius violet, nouas doctrinas proſeminet, & ipſe in errore perſtet, & alios eodem trahat, legibus in eũ aduertit, damnatum dyris deuouet, ciuitate ſua proſcribit, igni & aqua illi interdicit: Aut ſi ita meritus fuerit, ſi eò inſaniæ proceſſerit, vt medicinæ in eo locus nullus ſit, ſupplicijs meritis caſtigat, & vt medici ſolent, membra quæ ſanari nequeunt, & cæteris peſtem afferunt, ferro & igni à corpore ſuo præcidit. Etſi enim libertas poteſtas eſt viuendi vt velis, tamen ne quis ea vel in ſuam, vel in aliorum pernitionem abutatur, leges quæ ad diſſolutos cohercendos inſtitutæ ſint, ei poteſtati moderantur. Et propterea Imperator eam libertatem deſcribens ait, eum liberum eſſe, qui quod illi libeat facit, legibus tamen eum interdum prohiberi, ne ſemper quod libeat, agere illi liceat. Ait enim, & libertas quidem, à qua liberi appellantur, eſt naturalis facultas eius, quod cui facere libet, niſi, ſi quid

Quid ſit libertas.

quid vi aut iure prohibetur, non quod quidem ius cuiquam naturalem illam agendi facultatem eripiat: ius enim à natura originem ducit. Sed quoniam multi ſunt, qui cancellos naturæ, aut temeritate ſua, aut effrenata cupiditate effringunt, & extra ſepta, intra quæ nos illa appoſuit, manereque perpetuo velit, euolant, leges vt cuſtodes, & ius ad eam vim cohercendam à magiſtratu, rerumq́; publicarum gubernatoribus adhibentur, nec tamen eo facto, poteſtas illa liberè agẽdi nobis eripitur, imò non ſolum non eripitur, verùm enimuerò ſtabilitur & augetur: tum enim liberi ſumus, cum legibus ſerui mus, cum ea quæ concedũt, præcipiúntue, facimus, cum ab ijs quæ vetãt, abſtinemus, cũ recta ſequimur, cum officio gaudemus, cum inſtituta, cũ leges ſequimur & colimus, quod eqdem facere nequit, cui viuendi via conſiderata atq; prouiſa nõ ſit, & qui ea quæ ratio damnat, affectat. Neque equidem omnes liberi sũt, qui quod velint faciant; cum multa ſint, quæ facta

Quando ſumus liberi.

facta ſeruitutem pariant, vt præſtet ea nec voluiſſe, nec feciſſe. Nam quẽadmodum non omnes beati, qui viuunt vt velint, ita non omnes liberi, qui faciunt quod velint, & vt velle quod nõ decet ipſum, hoc miſerum eſt, ita facere quod non deceat, quod leges damnent, quod natura auerſetur, quod Deum offendat, hominumque ſocietatem turbet, acerba ſeruitus eſt, an tu putas Francken te liberum eſſe, quod credas vt velis, quod Deum blaſphemes, quod religionẽ turbes, nullum ſcito mancipium te miſerius eſſe. Nam vt omittam, quod te homines ſani oderũt, quod auerſantur, quod Germania, quod Gallia, Italia, & aliæ regiones ad ſupplicium fugientem perquirunt, ſententijs ſuis damnatum vndique exterminant, in quam miſeram ſeruitutem diaboli incidiſti. cogita: quis te inde homo amens liberabit, an Chriſtus, quem rides, quem officio mediationis & reconciliationis noſtræ, victoriaque de Sathana exſpolias, qui peccatum tuum apud patrem & perfidiam

Francken mancipium.

ſidiam accuſat, ſupplicijſque æternis *Pſalm. 4T.*
deputat. Nec frater, nec homo quiſquam te ex ea ſeruitute ſathanæ liberare, redimereq́; poterit, ſolius Chriſti filij Dei hoc beneficium eſt, quod tu repudias. Agnoſces ô Francken, Chriſtum Deum eſſe, agnoſces eius potentiam, videbis in quem haſta tui mendacij pupugiſti, eam libertatem *Libertas*
quæris, quæ permittat te facere quod *Francken.*
velis, quid ſi adulter eſſe velis, quid ſi homicida, quid ſi ſceleratus & nequam, & alia quæ ſunt idolorum ſeruitus, libérne eris, nónne mãcipium fueris, qui te ſceleribus tantis cõſtrinxeris, non omnes, crede mihi, liberi ſunt, qui quod velint, faciant, niſi quod rationi rectę cõſentaneum eſt, niſi quod leges permittunt, niſi quod à Deo probetur, faciant, ſeruiendum *Legibus ſer-*
eſt legibus, ſi vis eſſe liber, iſta tua li- *uiendum.*
bertas inſania eſt, & plena furoris dementia, Chriſtiana libertas intra metas poſita, & cancellis certis circumſcripta eſt, non patitur oues ſuas extra ſepta euagari, diſciplina ſeueriore vtitur in eos, qui quod illa damnet,

vel volunt, vel faciunt: quam diſciplinam tu acerbiorem tyrannide ethnica vocas, & Chriſtianos qui libertatẽ ſuam iactẽt, miſera ſeruitute oppreſſos deploras, & dominos ſeruos fieri, ſeruos verò dominos indignè fers; quod vt ita eſſe perſuadeas, ad Ariſtotelis authoritatem excurris, & qui natura ſerui, qui liberi, ex eius ſententia ſtatuis, ſcilicet vt latius omnes omnium religionum homines, qui vt ſtupidi, vt bardi, idolon horrẽdum, Trinitatem venerandam eſſe, non videant, ſeruos eſſe doceas: ſtultos enim eſſe vis omnes, qui ea vi ingenij deſtituti ſunt, quæ in te eſt, & propterea ſeruos natura eſſe, Ariſtotelica lege pronuncias, ingenioſos, perſpicaces, eruditos, quod totum tu es, ſolos liberos ſtatuis eſſe. Equidem Francken indignum eſt te iſtis ſeruire, & naturæ in te premendo leges violari: impone mãcipijs iſtis Romanis, Lutheranis, Caluinianis, iugum ſeruile, ſceptra religionum & imperiorum arripe. Neque enim digni ſunt Reges, & principes imperio, qui non videant, quæ

Francken principes omnes ſeruos eſſe natura definit.

quæ tu vides, qui in colenda Trinitate concordes ſunt, qui eam idolon horrendum eſſe non videant: Vocentur ad prætorem tuum Ariſtotelem, accuſentur ſtuporis, & in ſeruitutem abducantur vincti. Et quoniam Chriſtus huius noſtræ ſeruitutis author eſt, qui & relinquere omnia nos iubeat, & crucem noſtram tollere, & vt mancipia ſe ſequi iubeat, anguſtam viam nos ingredi præcipiat: nec aliud, quã quod ille docuit, quod nobis e ſinu patris attulit, credere quenquam in ſua Eccleſia patitur, libertatẽ tibi credendi vt velis, adimit, & doctrinam ſuam ſecundum amuſſim Ariſtotelis expendere te non ſinit, vt Tyrannum abiice, Deum eſſe nega, mediationis officio eum exſpolia, quod facis; ita tum demum liber eris, & quod velis facies, cum neque homines reueritus fueris, neque Deum, qui per filium Chriſtum Ieſum, vt omnia agit, ita de ſceleratis pœnas ſumit, timueris. Ita te ex illa acerba ſeruitute euolues, atque non ſolum liberè præte ferre, quod è ſacris literis

Matth. 1.

Libertas Franckens.

de perceperis, ſed etiam apertè profiteri, & palàm docere tibi ſine famę & fortunarum periculo licebit: neque neceſſe tibi erit, vnam religionem ob immanem illam earum ſeruitutem, cum alia commutare, ita enim efficies, vt nulla religio amplius ſit, quam cum alia commutes, Deo etenim abnegato, quæ religio erit, dic quæſo? Ea inquis, quam è ſacris literis perceptam fide teneo: Quæ ea eſt quæſo, quam tu ſolus poſt omnes percepiſti? hæc, inquit: Trinitas, quam vos venerandam & tremēdam eſſe ſtultè docetis, eſt idolon horrendum, filius Dei Chriſtus Ieſus, Deus non eſt, creatura eſt, & homo purus, cuius beneficium nullum agnoſco, mediator quem vos eſſe fingitis, non poteſt eſſe, quod neq; vt Deus, neque vt homo, hoc officio vnquam fungi potuerit, vt mox oſtendam, nec ſpiritum ſanctum diuinitatis vllo modo participem eſſe patior, Deum vnum, vel potius nullum eſſe iudico, tres quos numeratis, & gentilium moribus imbuti, pluralitatem deo-

Francken teſtatur ſe fidē habere ex ſacris literis perceptam, quod poſterius negat.

deorum damnatam reuocatis, ac ido lon Trinitatis erectum, à vobis colitis, meque ad idem faciendum cogitis, rideo, & quod me vi, tyrannideq; veſtra ad eam quam non habeo ex ſacris literis fide perceptam compellitis, & naturæ apertiſſimè illuditis, legeſque eius violatis, quæ ingenia hominum libera eſſe voluit, moleſtè fero, libertatem mihi eripi non patior, & propterea iam in hanc, iam in aliam me ſcholam conijcio, religionem religione commuto, omnes regionum partes percurro, ac perquiro, vbi liceat mihi Deum nõ eſſe, profiteri. Hæc religionis ratio iſtius noui Doctoris Francken eſt, hæc libertas illa eius naturalis eſt, quam noſtri tyranni violant? Nam ei non ſolum liberè profiteri, quod ex ſacris litteris perceptum fide teneat, & corde credat, ſed etiam neque præſeferre hanc ſuam fidem eum permittãt, in fortunas eius quas vagus iſte, nullas habẽs, vt canis famelicus in omnes partes excurrit, ac offam perquirit, cibũ egens è flamma petiturus, inuadunt,

ſama eum exſpoliant, proſcribunt, damnant, ſupplicijs deputant, & omnibus modis execrantur, nuſquam conſiſtere patiuntur, de periculo fortunarũ, quas nullas vnquã habueris, quarum parãdarum cauſa religionẽ commutas, & vbi quæſtum non inuenias, tyrannidem & immanem ſeruitutem ibi eſſe ducas, quærens: ſcilicet vis tibi ſit, ne liberè aliena bona inuadas, ne templa & aras pro tua libidine exſpolies, & arte tua diſcipulos tuos bonis exſpoliatos impietate tua & erroribus compleas, hoc eſt illud fortunarum tuarum periculum. Hæc illa religionis Chriſtianæ immanis ſeruitus & tyrannis. Nec eſt quod de famæ periculo nobis dicas, ipſum factum tuum ipſa impietas, & horrenda iſta tua religio, quam nouam fingis, infamem te reddidit, oẽs hæretici iure & diuino, & humano infames ſunt, damnati, & exules. Sed audiamus noſtrum Francken, ſeruitutẽ Chriſtianam deplorantem, & non ſolũ Papatum, ſed etiã alias ſectas & religiones deteſtantẽ, quòd libertatem,

Quam libertatem Francken quærit.

Querela Frãcken.

quam

quam & Euangelium attulit, & natura elargita eſt, crudeliter illi eripiant, accuſantem, & eo nomine maximè, vim illam amplificantem, quod animorũ ſeruitus grauior ſit ea quæ in corpore vigeat, qui enim animo ſeruiant, omnibus ſeruis miſeriores illi videntur. Maxima & grauis ea ſeruitus animorũ, credere & ſentire de rebus diuinis, non quod ipſe poſſis & velis credere, aut re ipſa ſentire, ſed ꝙ alij volunt, & niſi ita credas & ſentias, exilio aut morte damnaris. Atqui diximus, nõ quod tu ſentis, ſed quod Eccleſia vniuerſa ſentit, credere te debere: ſenſus enim tuus vnius, nullus eſt ſenſus pro ſenſu Eccleſiæ vniuerſæ. Senſus reprobus, veritatis arcana, & myſteriorum diuinorum ſentire non poteſt. Et certè ſenſatio eorum eſt, quæ ſenſui ſubijciuntur, quæ in oculos inuoluant, quæ aures circumſonant. Fides autem, ſpes rerum eſt inuiſibilium, quæ non modò ſenſu non apprehendũtur, ſed & intellectum ipſum retundunt, atq; ſuperãt, non ſenſui igitur alliganda arcana ea *Fidei obiectum.*

quæ nobis vnigenitus filius Dei aperuit, nec intellectui ſubijcienda ſunt: Cum & ſenſum effugiant, & intellectu qui nihil alienum à ſenſu capit, apprehendi nequeant, quorum cognoſcendorum fides ſola inſtrumentum eſt, quæ ſola in ea, quæ non vidẽtur, quæ non ſentiuntur, quæ non intelliguntur, oculos ſuos infert, & penetralia myſteriorum ingreſſa ſola veritatem & arcana Trinitatis cognoſcit, & nobis enunciat, & ſenſum & intellectum ſibi ſubiectum eſſe vult,
2. Cor. 10. Captiuare Paulus iubet intellectum, in obſequium arcana docentis Chriſti, & fidei iubet, non fidem ſenſui & intellectui tuo ſubijcit, ſed ſenſus & rationem cum toto intellectu, ipſi fidei: ſenſum ſequebatur & rationes,
Ioan. 3. Nicodemus, cum regenerationem, quam Chriſtus prædicaret refelleret, cum myſteria diuina capere nequiuerit, ingredi in vterum matris ſe cogi putaret, cui Chriſtus reſpondens, & errantem reuocans, non rationibus vtitur, non ad ſenſum & intellectum ſe refert, ſed credere eum, rationibus hu-

Chriſtus quomodo doceat Nicodemum.

humanis, & naturæ legibus neglectis iubet, quod ratione & ſenſu, ea q̄ ille doceret capi non poſſent, & naturæ leges excederent, ait igitur, Amen dico tibi, quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, quæ Nicodemus quamuis eſſet aliorum magiſter, ignorauit, quæ nec ſenſu, nec intellectu apprehendere potuit, fide ſola apprehendit, & vera eſſe credens, Chriſto Magiſtro veritatis, ſenſus ſuos, rationes ſuas ſubiecit, & intellectum in obſequium eius, captiuum reddidit; & de qua regenerandi ratione Chriſtus diſſereret eo modo agnouit, ſiquidem arcana Dei non ſenſu apprehenduntur, ſed fide perſpiciuntur, intelligi ſine fide ea explicante non poſſunt. Non intelligetis, inquit Eſaias, niſi credideritis. Si tu Franckē myſteria ſacra, quæ damnas, intelligere vis, fidei lumē adhibe, hæc ſenſum & intellectum tuum lucerna præcedat, in lumine fidei, lumen diuinum videbis, ſenſus tuus cœcus eſt, & intellectus tuus tenebræ, ſola fides lux in Regno Dei eſt. Non defuerunt Iu-

Eſai. 1.

Sine fide diuina non intelliguntur.

dęis ſenſus. Non defuit ratio intelligendi, tamen veritatem, eam quam Chriſtus monſtraret, non apprehenderunt, videntes, nihil videbant, audientes non intelligebant, ſubuerſus eorum erat ſenſus, ſubuerſus intellectus, quare non eſt, quod tu ad rationes Ariſtotelicas confugias. Nõ eſt, quod intellectum tuum iactes, ſenſuſque tuos lumini Trinitatis venerandæ inferas. Non niſi fides in eo lumine veritatem videt, Senſus omnem rationem ad eius aſpectum ſenſationis amittit, intellectus ei collatus vt cæra igni admota liqueſcit. Sẽſus tu⁹ cœcus Trinitatem tremendã idolon eſſe putat, treſque Deos diſtincta eſſentia fingit. Fides vnũ Deũ in ſubſtantia, trinum in perſonis eſſe prædicat, ad quam confeſſionem fidei ſi te Romana Eccleſia cogit, ſi Caluiniani & Lutherani tibi inſtent, nullam vim tibi inferũt, ad veritatis lumen te ducunt, neque in tuis tenebris inſaniens pereas tibi conſulunt, ſeruareque etiam inuitum pro Chriſtiana charitate contendunt, inijciuntur

puntur furioſis cathenæ, arctantur membra eorum, carceri includuntur, quæ officia à charitate profecta, nec vis nec Tyrannis dici poteſt, vitæ enim illorum conſulitur, ne furētes, & ipſi pereant, & alios perdant, occurritur: ac vt ad ſanitatem & libertatem veram, quam furor illis eripuerit redeant, opera datur, & parentes liberos, quos vt viſcera ſua ament, ad ea quæ recta ſunt, quæ illi ſenſu ſuo decepti refugiunt, & acerba iudicant, ferula virgiſque compellunt, non vt libertate eos exſpolient, ſed vt verè liberos reddant. Grauis Tyrannus eſt furor, grauis ſeruitus animorum perturbatio, & cupiditas, quibus qui mancipati ſunt, non eſt quod ſe liberos eſſe iactent: qui cupiditatib⁹ & libidine ferūtur, nō quod volunt agunt, ſed vi & impetu libidinum ſuarum feruntur, & ratione reclamante praua arripiunt, quo in genere ſeruitutis te Francken principem eſſe video, nihil rectæ rationi, omnia libidini & cupiditati effrenatæ tri-

Qui ſit tyrannus verus.

tribuis,& illi vt mancipium eius, ſeruis, cum ratio,& Euangelij lex, libertatis veræ tibi rationes demonſtret; non igitur Chriſtianam ſeruitutem accuſares, ſed tuam ipſius miſeriam agnoſceres,& calamitatem tuam potiùs deplorares, quod lucem Euangelij, & ſcripturæ veros ſenſus, euerſo tuo ſenſu, non capias,& quod lumen Eccleſia tibi monſtret, vt tenebras refugias & oderis, in te vitium & morbus iſte eſt, non in Romana Eccleſia, quem tu morbum, quocumque te transferas, quamcunque religionem & ſectam deligas, ſemper tecum circumfers, eadem ſeruitus, quoquò te trãſtuleris, te in tenebris detinet, mutes religionem, mutes ſectas, morbum tuum iſtum non mutabis, com mutes, licet tanquam ęgrotus lectos, vbicunq; tamen poſitus fueris, morbus internus tuus, qui videbatur cõmutatione, vel loci, vel religionis leuior fieri, ſtatim ingraueſcit, vires reſumit,& te grauiore dolore excruciabit, digreſſus à Romanis, & quaſi in alium lectum tranſlatus, grauiorem ſer-

Aegroti ſecũ morbum circumferunt.

ſeruitutem apud Lutheranos, & Cal uinianos te perpeſſum teſtaris, & gra uiori morbo afflictum, vnde rurſus velis te in lectum Romanum deferri, doloremque tuum leniri in eo prędicas: ſed mox tanta te vis morbi inuadit, vt non ferendam illam tyrannidem & barbariem clames, relictas religiones repetis, repetitas & probatas damnas, ac relinquis, nouam medicinam iſtius tanti morbi & furoris tui conficis, nouam religionem fingis, in qua nihil credas, Deum contumelijs vt inſanus oneres, & quod tibi eam fidem & cognitionem arcanorum diuinorum non dederit, accuſas, & crimen à te in ipſum DEVM transfers, & eo nomine maximè Chriſtianos principes traducis, quod te ea credere cogant, quæ tibi diuinitùs negata ſint, nam ita pręfaris (agnoſce quæſo verba tua.) Quanta quæſo, & quam portentoſa hæc ſeruitus? nuſquam tam immanis vnquam fuiſſe tyrannus legitur, qui pauperem occidiſſet, aut exilio ſaltem mulctaſſet, quod nō potuerit magnum aliquod à diui-

Morbus Franken.

Remedia furoris Francken.

à diuite quopiam donum impetrare. At noſtri tyranni, ſacris inſtructi literis, probè norunt fidem eſſe donum Dei, non autem arbitrij mei: & tamē innumeros trucidant Chriſtianos, qui hoc non poſſint à DEO donum habere. Omninò monſtroſa & plus quam barbara iſta eſt ſeruitus; quam ſi nunc Socrates, Plato, Cicero, & alij ſapientes Ethnici deguſtarent; næ illi maiorem apud inferos eſſe libertatem clamarent; valdeq́; mirarentur, quenquam intelligētem hominem, in tanta poſſe ſeruitute conſtanti animo eſſe. Quid hæc verba tua docent; quid aliud querela tua iſta vult, præterquam Tyrannos eſſe Chriſtianos, quod ea munera, quæ quis a Deo nō acceperit, ab eo requirant, tergiuerſantem ſupplicijs vel terrent, vel cruciant, ac vitam ipſam cum ſanguine poſcant, donum DEI fidem eſſe eos ex ſacris literis cognoſcere ais, non ignorareq́ue, non omnes eius doni capaces eſſe, non omnibus à Deo dari, exquirere tamē ab omnibus, vt nō modò libertati naturali, ad quam te reuo-

Francken tyrannos Chriſtianos eſſe vult.

Francken negat ſe donum fidei habere, quod ante aſſeruit ſe habere, & ita nebulo Chriſtū oppugnat.

reuocas ſemper, ſed etiam Deo ipſi aduerſari, & eum vt omnibus fidei donum, quale illi poſcunt & probant, dare cogere videantur, non tuam culpam eſſe, quod non ita vt illi vellent, crederes, ſed ipſius Dei, qui tibi tale donum, quod illi probarent negauerit, quod ſi illi tanquam datum eſſet, à te exigant, & ante pedes eorum integrè vt pecuniam agro vẽdito ponere, tam acerbè vt Petrus Ananiam, & Saphirum cogant, debere eos quæ reddere nequeas, quæ non habeas, videre, nec à te exigere, ijs cõtentos eſſe, quæ ex ſacra ſcriptura percepta fide teneas. Equidem Francken nos es oblitus, cauſæ tuæ, iam ad hæc, iam ad illa refugis præſidia. Dicis te ex ſacris litteris percepta fide tenere, faterîſque tibi donum hoc, credendi donatum eſſe, & ea vi ingenij præditum, vt quam fidem ſacræ literæ doceant, facilè perceperis, & perceptam teneas. Habes igitur fidem, & eam fidem, quam ſacrę literæ demonſtrent, veram eſſe. Vide, quomodo ſis

acu-

Fides ex ſacris literis decerpta donũ Dei eſt.

acutus. Vide, quæ tibi libertas, tam perſpicaci & ingenioſo viro debeatur. Fidem te excerpſiſſe è ſacris litteris profiteris, & quod donum conſequutus fueris, non licere tibi, non ſolùm libere profiteri, ſed etiam præſeferre, grauiter queſtus es. Nunc autem non tua culpa fieri dicis, vt non ita ſentias & credas vt Chriſtiani volunt, quod donum fidei à Deo tibi nõ datum fuerit, moleſteque fers à te ea expoſci, quæ tu habere nequeas, ad quam rem, tyrannorum etiam exemplo vteris, quod nemo eorum ita crudelis inuentus vnquam ſit, qui pauperem poſcat reddere pecuniam illam immenſam, quam iuſſus numerare, ab diuite impetrare non potuerit, petijſſe te ſcilicet diuitias, quarũ profunditatem Paulus miratur à diuite Deo, impetrare tamen non potuiſſe innuis, & propterea crudeliter in te Chriſtianos deſæuire, quod quæ habere non potueris, à te exquirant. Negas igitur, donum fidei tibi à Deo datum: Negas iuſtè fieri, ſi à te quod à Deo impetrare nequeas, exigatur, atqui

atqui in ingreſſu illo ſermonis tui, quo culpam tuam tueri inſtituiſti, antequam ad pugnam contra idolon Trinitatis accederes, confeſſus es, fidem te, quam teneas è ſacris literis percepiſſe, & quòd hoc donũ te Chriſtiani in lucem proferre non permittant, grauiſſimè queſtus es: igitur tu, quando vis, donum fidei tibi à Deo datur, quando vis nõ datur. Accuſas principes, quod donum Dei, à te non accipiant, mox mutata ſententia crimen deprecaris, quòd donum, quod illi expoſcant, à Deo impetrare nequeas. Quid eſt hoc, niſi deſtitutum luce veritatis, & mendaciorum tenebris immerſum errare, ſibi non conſtare, aliud ſtantem, aliud ſedentem dicere, & planè ſine pudore mentiri. *Francken leuitas.* Fidem hauſiſſe te è ſacris literis profiteris palàm, eandem fidem donum Dei ais, quod tibi omninò non ſit datum, & propterea nec à te requirendum: ô acutum virum, & qui Trinitatis errores animaduertat, qui religionem conſtantem, & ſibi conſentientem inſtituat, dignum: Cum ipſe

ne in eodem puncto quidem temporis, conſtans ſit, qui in eadem facieſolij idem aiat, idem neget, laudet & dānet. Non impetraſti Francken opes, quas à te tyranni Chriſtiani poſcunt, negatum eſt tibi donum fidei. Quæro, cum ex ſacris literis fidem percipis, nónne hoc donum Dei non eſt? Num aliud ſacrarum literarum donum, aliud Dei eſt? Vide quæſo, ſacræ literæ cuius donum ſunt? quis nobis Euangelium donauit? Nónne Euangelium Dei eſt donum? Certè, Paulus ſe ad Dei Euangelium prædicandum vocatum teſtatus eſt. Quæ ſacræ literę illę ſunt? Vnde tu credere didiciſti? Euangelium equidem inter ſacras literas principem locum tenere non negabis, quanquam negas: multas enim ſentētias, quibus diuinitas Chriſti, & ſpiritus ſancti demonſtratur, reijcis, ac ſuppoſitas eſſe mentiris. Non planè tamen totum Euangelium repudias, in ſacris literis, doctrinam hanc Chriſti eſſe vis. Quid enim aliud vis eſſe ſacras literas, ſi hoc non ſunt. Nam Apoſtolorum tu ſcripta

eo nomine dignaris, niſi quantum libidini tuæ inſeruire videantur. Cum igitur Euangelij doctrina ſacræ litteræ ſint, & idem Euangelium donum & munus Dei ſit, per filium eius vnigenitum ad nos miſſum; qui poteſt fieri, vt & tua fides, quam percipis è ſacris literis, quę donũ Dei ſunt, non ſit donum Dei? Vnde quæſo fides? ex auditu inquis cũ Paulo, auditus per verbum Dei. Verbum quid eſt? niſi donum Dei? quo in auribus noſtris perſonante fides nobis datur, quam corde conceptam, ore confiteri poſtulamus. Verbum Dei eſt lux, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Lux ea eſt donum Dei, quod fidem in cordibus noſtris paris. Vnde ſalus noſtra, quæ non ex nobis, ſed donum DEI eſt: quam fidem quia hauſiſti è ſacris litteris, donum hoc Dei te poſterius impetrare non potuiſſe, mentiris: vel ſi verum in poſteriore iſta tua præfatione aſſeris, in primo eius ingreſſu te mentitum eſſe, certum eſt. *Fran. kenidẽ ait idẽ negat.*
Habeo fidem, fide percepta teneo,

 fidem

fidem, donum Dei impetrare nō potui, ex eo genere contrariorum ſunt, quæ aientia & negãtia dicuntur, quæ nunquam ſimul vera, nunquam ſimul falſa eſſe poſſunt, in hoc vitium, tu temeritate tua prolapſus es. Hoc crimen contra leges Ariſtotelis admiſiſti, vt idem aias, & idem neges, qui locus quam lubricus ſit, quam periculoſa meta hæc, à Dialecticis eſſe dicatur, nouiſti. Inſenſati & pluſquam bardi hominis eſt, in vitium hoc incidere, ob quod vnum vitium, dignus fueris, ne quis tibi credat, ne tecum, cum tam callido homine diſputet, ſed vt te horrẽtem in tuo cœno, tuis ipſius laqueis captum deſerat, illud vulgare dicens: Tollat te qui te non nouit: prodidiſti & malitiam & ſtuporem tuum; vno facto; malitia te mentiri cogit, ſtupor pugnantia te dicere videre non ſinit; oportere mendacem memorem eſſe, dici paſſim audiuiſti, nunquam enim mẽdaces clarius ſe produnt, quàm cum obliti, quæ ante dixerint, contraria illis dicant, & vt ſorites ſono ſuo, ſe vbi ſint mon-

Meta redargutionis.

Stupor Franeken.

Mendaces quando ſe produnt.

monſtrant. Cum igitur pugnantia di cas, quæramus vtra pars tuæ contradictionis vera ſit, neceſſe enim contradictionis alteram partem eſſe veram. Locus hic eſt Dialecticus communis, atque principium, apud magiſtros diſſerendi. Equidem non dubito, poſteriorem, quæ teſtatur te donum hoc Dei, quæ fides eſt, impetrare nõ potuiſſe, donum ſiquidem Dei eſſe, verum eſt, donum etenim Dei eſſe non ex nobis, clamat Paulus. Veritas igitur tibi hic vel lapſa, vel imprudenti elapſa eſt, nec minus verum eſſe iudico, quod tu dicas, te donum hoc fidei à Deo non accepiſſe, & propterea iniquos exactores Chriſtianos eſſe, qui te ea reddere cogãt, quæ tu non acceperis, & quæ impetrare nequiueris. Negauit tibi Deus hoc ſuum donum, propterea, quod tu Chriſtum Ieſum, per quem omnia bona & dona DEVS nobis largitur, negaueris, & conuicijs tuis conſcideris. Chriſti Ieſu donum, & opus, fides eſt, hic nobis fidem attulit, hic nos credendi rationem docuit, in hunc i-

Cur donum ſi dei negatũ ſit Francken.

pſum & Deum patrem, vnà cum ſpiritu ſancto, credentes vitam habemus, Chriſtus medius inter nos & patrem conſtitit; ac peccata noſtra nobis, per fidem quam nobis inſpirat, donauit. Cum igitur ſine Chriſto, hoc donum nemo conſequitur, tu qui Chriſtum ab hoc donandi munere, & mediationis officio remouiſti, fidem, Dei donum merito impetrare non potuiſti, turpem & damnoſam repulſam ſanè paſſus, abominatus eſt Deus pater impietatem tuam, preces tuas, impietate tua in Chriſtum, & in ſpiritum ſanctum, & in ſeipſum offenſus, aſcendere ad ſe non paſſus, faciem perfidia fœdatam non recepit: neminem enim admittit, niſi quẽ mediator noſter Chriſtus, ad eum adduxerit, ſuaque cruce eum conſignauerit, ſuo ſanguine abluerit, blaſphemos, impios, incredulos, ſenſui mancipatos, deteſtatur, & ſathanæ cruciandos ignibus æternis tradit. Cum igitur orares, & pellem ouis cum ſis lupus prætenderes, agnouit te Apoſtatam, agnouit filij ſui, & ſpiritus ſan-

Quos Deus pater agnoſcit.

Francken hoſtis filij Dei.

ſancti hoſtem, religionis Catholicæ turbatorem, perditum & vagum hominem: in nulla religione, & regione conſiſtentem, lumen veritatis ſuę ad tenebras erroris philoſophorum tuorum trahentem, ſe cum filio & ſpiritu ſancto, monſtrum appellantem, & propterea tortoribus tuis illis, conſcientiæ, libidini, ambitioni, fraudi, & cæteris ſceleribus huius generis te tradidit, dona ſua, talentum ſuum malè diſpenſatum, à te abſtulit, totam fidem in te extinxit, mali gnos ſpiritus in te immiſit, vt per os tuum perditis, & tuo mendacio deditis, vt Achabum ſeducant, ac æternis ſupplicijs, vnà tecum excrucient. Nulla igitur pars in hac Chriſti ſorte tibi relicta, in felle amaritudinis verſaris: Simonis vipera ſua venenoſa pharmaca ſignantis, artibus niteris, ad interitum tuum ruis, & cum nullum fidei donum habeas, nugas tuas, blaſphemiam tuam, alijs vendis, & quidem Simon, donum ſpiritus ſancti, quod non habuit, vendere non audebat, quod vt facere poſ-

Supplicia Franckeri.

Comparatio Francken cum Simone.

poſſet, Apoſtolis pecunia oblata, cō-
ſequi voluit, ac eam gratiam & pote-
ſtatem largiendi ſpiritus ſancti eme-
re contendit: vt non nugas, ſed vera
Dei dona venderet, nec emptores ſu-
os falſis imaginibus luderet: At tu im
pudentiſſime homo, ea quæ tibi ne-
gata eſſe, fidei dona palàm profiteris,
alijs ea vendis; fidem nouam, religio
nem nouam inſtituis. Scis tuum ma-
Qui nihil habet, nil dat. giſtrum Ariſtotelem dixiſſe, eum qui
nihil habeat, nihil dare poſſe. Quid i-
gitur tu vendis ea, quæ non habes? ac
non ſolum cæteros, ſed ipſum etiam
tuum magiſtrum; Chriſti doctrinæ
aduerſum, rides; falſi eum arguens,
quod dicat eum, qui nihil habeat, ni-
hil dare poſſe: tantum enim non di-
cis, falſum eſt quod ais magiſter, ecce
me vides, qui fidem non habeam, ali-
oś fidem docere, cui donum fidei ne-
gatum ſit, alijs ea dona largiri. Igitur
Prancken audacior Simone Mago. tu audacior, & impudentior Simone
Mago, qui audeas, quod ille auſus nō
erat: Reiecta enim ille fide, & dono
Dei, fidem nunquam docuit, apertè
Chriſto aduerſatus. Tu qui fidē om-
nem

nem, ſundamentumque eius tollis, in vmbra tamen eius latitas, & quam oppugnas, eius præſidio, ad tuũ quæſtum abuteris. Sed iam huius Theomachiam ſpectemus, qui poſtquam multum queſtus eſt de Tyrannide Chriſtiana, inconſtantiam religionis Chriſtianæ reprehenderit, conſtantiam omnium religionum in tuendo dogmate de Trinitate, accuſauerit, ne deinceps conſtantes ſint, in eo tuendo, effecturum ſe promiſerit, ad detegendum diſcordiarum Religionis fontem accedit, & fundamentum omnium ſectarum, in quo ſuas doctrinas ædificet, ſe euerſurum minatur: ita enim ait: Ad tantæ autem huius cauſam ſeruitutis cognoſcendã, nonnihil cõducere putaui, ſi paucis naturalẽ conſtãtiæ fontẽ Chriſtianorũ in retinẽdo Trinitatis dogmate aperirẽ: hacq; ratione, omnibus demonſtratum relinquerem, monſtroſiſſimos partus ali, foueri, retineriq; non poſſe, niſi horum parentes monſtroſiſſima ſeruitute, quaſi nutrice vtantur. Quæ verba ſua, quid aliud reſonent,

Theomachia Francken.

Quid reprehendat in religione Francken, & quid minatur.

Trinitatē & idolon, et fontem erroris mentitur Francken.

niſi illum furorem, Trinitatis idolon fontem eſſe erroris, ac turbarum in religione, inde ortam opinionē pluralitatis deorum, inde religionum diſcordiam & diſſenſionem enaſci. Tollendum igitur hoc omne diſcordiarum fundamentum: quo ſublato non ſolum diſſenſiones religionum tollerentur, ſed nec vlla religio manebit. Hoc conſilium huius noſtri noui Polyphemi eſt, hic conatus, hęc ſunt illa munera, ad quæ nos euocat, ſed ſatis in veſtibulo præfati, & cum eo luctati ſumus, àrcem ipſam rationum eius aſcendamus, & quis iſte in antro ſuo Polyphemus ſit, inſpiciamus. Deuoraturus igitur venerandam Trinitatem Polyphemus iſte Francken, in primo ingreſſu cauſam antri ſui explicat. Cur Chriſtiana religio, quæ eſt vnica, ſola omnium religionum, quæ ſunt, fuerunt, quæ erunt, in tanta adeò inconſtantia verſetur, vt tot in ſectas diſſectas, vt ille ait, quot enumerari vix queant, diſſecta fuerit, earumque ſectarum eam ratio-

Ingreſſus antri Francken

rationem eſſe, vt maxima quæque ea rum, maximo in errore verſari cerna tur, in quo quidem eius antri limine, nonnullas video lucis veritatis ſcintillas: maximè quod ait, vnicam eſſe religionem Chriſtianam, vnica enim Chriſti Ieſu religio eſt, vna columba eius, vna ſponſa eius, & virgo illa, quam illi caſtam Apoſtoli & prophetæ deſponderunt, vnum ouile, vnus Paſtor noſter Chriſtus Ieſus, erit inquit ille vnus Paſtor, & vnum ouile. Hoc ſymbola Apoſtolica, Apoſtolicorumque virorum confeſsio, hoc Concilia Oecumenica confitentur, vnum Deum Paulus eſſe clamat, vnũ Chriſtum, vnam fidem, vnum baptiſma. Non eſt quod hic tenebrarum accuſetur Francken, non ſtatim lumen totum veritatis antrum ingreſſus extinxit. Primum hoc limen aliquid adhuc retinet lucis, quod in receſſu totũ extinguitur. Nã quod ait, religionem Chriſtianã in ſumma incõſtantia verſari, & in ſectas diſſectas diſſectam eſſe, id quàm verè dicat, videamus, & quidem ita ait, vt omnium

Imprudenti veritas elapſa.

um quæ ſunt, fuerunt, erunt, religionum, inconſtantiſſimam eſſe Chriſtianam afferat, quaſi verò ædificium in firmiſſimo & immoto fundamento poſitum, mobilius eo quod in cœno mendacij arenáve extruatur, eſſe queat. confer fundamenta religionū Francken, confer ſtructuram, non difficilè deprehendes, religionis Chriſti veræ, vt fundamentum ipſum Chriſtum Ieſum, & petram illam, quam Petrus confeſſus eſt, religionis noſtrę eſſe firmiſſimum & immotum, ita religionem ipſam æternam, & conſtantem ſemper manere: oppugnatur ſemper, expugnatur nunquam, tum viget, cum premitur, tum ædificatur cum euertitur, ſemper vna & eadem manet, crucifixus magiſter religionis noſtræ, omnes ad ſe traxit, victus vicit: dum in triumpho ducitur, triumphat ipſe, omnes poteſtates in ſemetipſo, mortuus non modo ipſe viuit, ſed etiam morti vitam aufert, hoc idem eſt, Eccleſia & vera religio Chriſti, dum premitur, dum vincitur dum oppugnatur, viget, vincit, & ſeſe vel

Francken criminatur religionem Chriſtianam, ſed falsò.

Religio Chriſti expugnari non poteſt.

Victoria Chriſti.

ſe vel maximè erigit: hoc modo Iudæos ſe inſequentes vicit, hoc modo gentes victas ſubegit, eadem nunc, quæ ſemper fuerit eſt; falsò inconſtãtiam illi obijcis. Nam quod ais in tot ſectas diſſectas eam diſſectam eſſe, quod vix enumerari queant, id nos negamus, vera enim illa à Chriſto tradita; ab Apoſtolis proſeminata, à Martyribus ſanguine irrigata, à Concilijs Oecumenicis roborata, in ſinu Eccleſiæ Catholicæ enutrita, vt caſta virgo ſemper tota manet: nam ſectæ illæ, quæ numerari vix poſſunt, non religionis Chriſti ſunt filiæ, ſed meretrices hæreticorum, quas illi ex adulterino, vel à ſe confecto Euangelio, vel Chriſti adulterato, in ſenſuſq; reprobatos, detorto, procrearunt: horum ſi inconſtantiam, diuerſitatem, inſtabilitatem reprehendis, rectè eſt. Quis enim non reprehendat tot ſectas diſſectas, tot opiniões abſurdas, tot dogmata diſſidentia veſtra, cum vnius Chriſti, vna doctrina perpetua, & conſtans ſit, meretrices igitur infinitæ ſunt, ſpõſa Chriſti caſta vna eſt,

Vera religio non poteſt ſecari.

Sectæ hæreticorum non ſunt religio.

conſtans immota eſt, quæ ita firma conſtitit, vt nulla vi ventorum hæreſeos, nullo tyrannorum tempeſtatis & perſecutionis impetu, vnquam à ſuo ſtatu dimoueri potuerit. Ita firma eſt, vt nullam vim extimeſcat; omnium arma contemnat, omnium ferrum debilitet, ignes extinguat, nihil erroris admittat, adulterinas doctrinas non patiatur. Non eſt igitur, quod religioni Chriſtianæ inconſtātiam obijcias, ſectarum eſt veſtrarum hæc inconſtantia, ſectarum proprius error, Religionis Chriſti propria eſt veritas, & ſtabile regnum: ac vide vt acutus es, dixiſti vnicam eſſe, mox infers tot in ſectas ſectam eſſe, vt numerari vix queant. Si vnica eſt, quomodo tot eius ſpecies, tot formæ? negas vnum Deum tres poſſe eſſe, & tres vnum dici, abſurdum eſſe pronuncias, in quod abſurdum te illapſum non ſentis, cum tot religiones Chriſtianas eſſe dicas, quot enumerari vix poſſint: ſi vna eſt, quomodo multæ: ſi multæ, quomodo vnicam

Firmitas religionis Chriſti

Inconſtantia hæreticorum eſt.

Pugnantia Francken dicit.

cam

eam dicis, eamque cum gentilium religionibus comparas, atque omnium inconſtantiſſimam eſſe profiteris, oportuit in illa comparatione te dixiſſe, omnium inconſtantiſſimas eſſe religiones Chriſtianas, quarum maximam quamque in maximo errore cerni ais: relata ſiquidem vox, quarum multitudinis eſt, plures religiones iudicat, & eas differentes: multum ſiquidem, non modo magnitudine, ſed & doctrinæ ratione differant, neceſſe eſt: aliæ enim alijs maiores, aliæ minores, aliæ minus erroris, aliæ plurimum continent, vt tu vis, quarum quæque maxima, in maximo errore videatur, ſed acumen tuum mitto. Concedo tibi religiones falsò dictas Chriſtianas, hoc eſt, hæreſes infinitas eſſe: concedo, ex ijs quæ maximæ ſint, maximos & plurimos errores complecti. Quantò enim quæque earum longius ab vnica illa Chriſti, & vera religione diſtet, tanto maior eſt, tanto maiores & plures in errores delabitur,

Lutherus. labitur, verbi gratia: Egreſſus Lutherus extra limen Eccleſiæ Catholicæ, & pro foribus eius conſtitit, hoc ipſo, quod egreſſus veritatem deſeruit: extra enim Eccleſiæ limen, veritas non eſt, nihil refert, procúlne diſcedas, an propè cōſiſtas, hoc ipſo, quod in Chriſti ouili non ſis, quod extra Eccleſiam ſis, nihil tibi profuerit: propior ille locus qui è caſtris egreditur, ſiue ille propè conſiſtens ea oppugnet, ſiue longius diſcedat, perfuga & hoſtis eſſe iudicatur. Diſceſſit Caluinus & multò longius ab Eccleſia, caſtra ſua poſuit, hoc differt à Luthero, quod alter propior Eccleſiæ, alter multò remotior ſit, alter minus, alter plus oberrat, vterque tamen errant, vterque perfuga & hoſtis Eccleſiæ Catholicæ factus, pauciora alter vel euertit, vel immutauit, alter nihil integrum reliquit. Lutherus ſolam tranſubſtantiationem elemētorum in ſacramento Euchariſtiæ negauit, cum præſentiam & veritatem corporis Chriſti aſſereret. Caluinus nihil præter ſigna panis & vini ſuis reliq̄t, verita-

Caluinus à Luthero quid differat.

veritatem corporis & ſanguinis Chriſti ſuſtulit, vterque tamen ab Eccleſia Catholica, & Concilio Oecumenico damnatus, hæreticus & hoſtis pronunciatus. Non enim Eccleſia, quantum à ſe diſceſſeris, & quàm procul abſis, ſed vtrúmne in ouili maneas, an intra conſiſtas, quærit. Quantum, inquis, maxima quæque in maximo errore conſtantiſſima cernatur. Dic quæ ſunt illæ maximæ? non dubito eas eſſe, quarum duarum tyrãnidem te ferre non potuiſſe, modo dixiſti, Lutheranam & Caluinianam, de cæteris enim taces. Harum duarum errores & in Germania, & in regionibus Galliæ, expertum te eſſe memoras. Equidem ego tibi hic ſubſcribo, maximo in errore & Lutheri, & Caluini ſecta verſatur, è quibus cum aliæ minores ortum habeant, erroris etiam plenas eſſe oportere, concedas neceſſe eſt. Monſtroſorum enim parentum, monſtroſos partus eſſe ais, & mali corui, mala oua eſſe, vulgare prouerbium eſt, ita tuo iudicio, qui harum religionum peritus ſis, maxi-

Eccleſia quid attendat.

Lutheri & Caluini vt maximas, ita erroris plenas religiões Frãcken arguit.

mè Lutherani & Caluiniani errant, & monſtra illa horrenda, quæ pariunt, alunt: qui quod tecum hic ſentiam, non eſt quod mihi iraſcantur, tuam ſiquidem authoritatem, hîc præſertim defugere nequeo, ſed altius in antrum tuum, arcem dicere volebam, progrediamur. Mirari multos ais religionis Chriſtianæ tantam inconſtantiam, & tot, tamque diſſectas ſectas, næ hoc etiam alienum à vero eſt, eſt quod omnes miremur, eſt quod deploremus, omnia omnibus turbantur locis, ſacra prophanis, ima ſummis miſcentur. Finis mutandæ religionis nullus eſt, quot capita, tot religiones. Eſt ſanè quod nõ ſolùm multi, ſed quod omnes mirentur, ſed mirari inquis deſinent, Dic amabo, cur deſinant? deſinent inquis mirari conſiderata hominũ (noſtram religionem tractantium) qualitate nimirum, vt qualis quiſque eſt, talis ſibi bona doctrina videatur, & in talem ſi liceat ſacras literas ſenſum interpretetur. Hæc tua verba

ſunt

ſunt Francken, quibus inconſtantiæ religionis cauſam imprudens quidem & aliò ſpectans veram aperis, mox falſam allaturus, vt lumen auertentium ſe etiam oculos ferit, ſic veritas ipſa fugientes etiam ſe, & in tenebras mendacij referentes, inſequitur, vltrò eis allabitur. At verò falſam cauſam inconſtantiæ religionis Christianæ, & tot ſectarum diſſectarum eius, quot non facilè enumerari poſſint, hominibus mirantibus tantam inſtabilitatem, diſſenſioneſque religionis Chriſtianæ demonſtrandas tibi tendenti, veritas ipſa iter tuum occupat, pedes tuos implicat, conſiſtere in luce ſua hortatur, & veram cauſam veritatis, & inconſtantiæ, totque ſectarum in religione Chriſti in dies exorientium, oculis tuis ingerit, hominum ſcilicet ingenia, qui religionis Chriſti interpretandæ curam recipiunt, ingeniorum eſt illa diuerſitas, hominum non religionis, quæ vnica eſt, vt tu ipſe fateris, vitium nuſquam poſſe

Veritatis vis.

Diuerſitas ſectarum vnde naſcatur.

conſiſtere, in ſingulas horas religionis faciem commutare, iam ad hos, iam ad alios ſenſus, verba ſcripturæ ſacræ torquere, nihil firmum, nihil ſtabile vnquam habere, nullius ſententiam probare, nullius authoritati parere Concilia Oecumenica, patrum ſenſum & conſenſum ridere, non veritati religionis & ſcripturę ſuos ſenſus moreſque accommodare, ſed Euangelium, totamque ſacram ſcripturam ad libidinem ſuā torquere, non ad legum præcepta ſuam vitam inſtituere, moreſque ſuos religioni veræ conformare, ſed omnia ſua libidine metiri, leges cupiditati ſuæ ſeruire cogere, & ſuis deſiderijs accōmodare: perditi enim homines, ſuis vitijs, ſuis cupiditatibus, ac effrenatæ libidini omnia ſubijciunt, ſeruireque cogunt, doctrinam Chriſti Ieſu, non eius dignitate & maieſtate, ſed infirmitate ſua metientes, & ſe non regulæ religionis veræ, ſed ipſam regulam moribus ſuis accommodantes, vt non ſecundum regulam religionis vitia ſua eminentia reſecent, ſed regulam

Ingenia mala quid agant.

lam ſecundum ea inflectant, & mori bus ſuis accommodent, ſcilicet Leſbium inſtitutum ſecuti, apud quem populum non ſtructura regulæ, ſed ſtructuræ & lapidibus regula aptaretur, & propterea regulæ illę plumbeę ęrant, quæ ad lapidis normam transformari, & ſubinde mutari facilè poſſent. Sic igitur iſti religionum variarum fabri, non ad normam religionis veræ, ſtructuram ſuam exigunt, ſed normam ipſam ad ſtructuram inflectunt, religionemque vitijs ſuis & cupiditatibus accommodant, ne ſcilicet in moribus ſuis ad normam reſecandis, luctari diutiùs eos neceſſe ſit: at fabri tabernaculi ſtructuram, ad Moyſi regulam, non regulam ad ſtructuram redigunt, ſecundum eam exilientia, & ſcabra reſecant. Quod ſi fabri iſti religionum facerent, vna religionis facies eſſet, nihil ſubſultaret, nihil ſubſideret, par & æqualis, vna vbique ea ſtructura eſſet, materiam vitiorum, morumque noſtrorum regulæ Chriſti accommodarent, non regulam legis, vitijs corporibuſque

ſuis, & doctrinam illam eius immotam inſolentiæ patrocinari, & libidini ſuæ ſeruire cogerent, ſecundum hanc regulam Chriſti Apoſtoli ædificarunt, ſaxa regulæ eius accommodabant, vitia reſecabant, & omnia plana & æqualia reddebant, ad hanc amuſſim Chriſti, Concilia Oecumenica, ſtructuras Eccleſiarum examinabant. Ad hanc, fabros religionum vocabant, plumbeam illam flexilem, & morbis ſeruientem hæreticorum repudiabant, ad hanc patres ſancti, omnia ſtruxerunt. Hanc à Catholica Eccleſia depopoſcerunt, ſemper ad eius normam, ſua ſcripta, ſuas doctrinas, interpretationes, & ſententias conformabant. Quidquid ab hac diſcederet, vt vitioſum, vt lubricum, & periculi plenum reijciebant, ad hanc regulam Paulus Galatis, à nouis fabris Euangelium fabricatum reuocauit, & vt falſum damnauit; Ad hanc eandem mores, & contentiones Corinthiorum vocauit, adulteria eorundem damnauit. Quam regulam, quoniam durior & ferrea vo-

Regula Eccleſiæ.

Cur regulam Eccleſiæ hæretici repudient.

vobis ô Francken videatur, repudiatis, & ad illam plumbeam confugiſtis Lesbiam, quam moribus veſtris aptatis, & ad omnem cupiditatem inflectitis, ita ſiquidem quiſque diſciplinas & accipit, & interpretatur, vt ipſe eſt, quod tu aptè equidem Ariſtotelis teſtimonio confirmas, qui finem malorum & bonorum quemque ſibi pro ſuis moribus fingere aiebat, vt in auaris, iracundis, ebrioſis, vt tuis verbis vtar, videre eſt, qui talem iudicant bonum eſſe finem, quales ſunt ipſi, quod equidem & Ariſtoteles acutè vidit, & tu commodè huic loco aptaſti, quodque totum, vel Germanorum exemplo illuſtrius videri voluiſti, qui quod eſſent libertatis amantes, ſolā fidem, quæ libertatem pariat, amplexi ſunt: operum bonorum iugum, vt graue & ſeruum abiecerūt, quos eadem ratione diceres, ieiunia damnaſſe, quod eſurire non didicerint, quod inediam perferre nequeant, & quod plus cæteris nationibus genio indulgeant. Grauis

Germani cur ſolam fidem amplectātur.

enim ſeruitus eſt inedia, & ſitis, quã
Hiſpani, quod ventri non ſeruiant, facilè perferunt, & ob eam rationem egregij milites ſunt. Non ferro ſolo vincunt, verumenimuerò omnia tollerãdo, inediam & ſitim perferendo, vbiq; de hoſte triumphant. Grauem illa gens generoſa ſeruitutem eſſe, vẽtri ſeruire, & ebrium eſſe inſaniam iudicat. Cum igitur & frugi ſit, & ſobria, propterea ad pietatem & religionem colendam prominens eſt, nec vnquam à religione Chriſti vera & Catholica ſe auocari patitur. Sobrietas enim veræ pietatis cuſtos eſt, qđ vel ipſe Princeps Apoſtolorum teſtatur, qui nos, vt ſobrij & vigilantes ſimus hortatur. Itaque quod tu Hiſpanis ſeruitutem in ſermone tuo, cum Paulo habito, obijcis, multum falleris: vel ſola gens illa libera eſt, Catholicæque religionis, vnde & cognomẽtum ſortita eſt, propugnatrix: ſed tu legibus ſubiectũ eſſe, præcepta Chriſti ſeruare, Eccleſiæ paſtoribus parere, non vt velis credere, ſeruitutem appellas, cum vel ſola eſt libertas religio-

Hiſpanorum ingenia & vires.

Sobrietas pietatis cuſtos.

1. Petr. 5.

Francken impudenter reprehendit Hiſpanos.

Seruitus Francken.

ligionis Catholicæ,& Chriſti Ieſu ſer uum eſſe. Sed progrediamur,ac luce veritatis relicta, quam proferre non potes,in antrum tuum, lumina noſtra inferamus,& opes tuas iſtas,& ingenij, & pietatis videamus. Quales autem hi fuerunt,inquis, à quibus auidiſſimè receptum, comprobatum & proſeminatum eſt Trinitatis dogma,nemo ignorat, niſi qui ipſe quoque huius eſt erroris tenebris circũfuſus.Qui ſunt quæſo iſti, qui Trinitatis dogma proſeminarunt, quæ illæ tenebræ, quibus nos Trinitatis doctrinæ aſſertores circumfundimur? Equidem Trinitatis dogma non aliundè hauſimus,quam è ſacris literis, vnde tu religionem tuam fide percepta te tenere iactas, hoc nos Prophetæ docuerunt., vnum Deum Abraham coluit,tres tamen hoſpitio recepit, Chriſtumque filium Dei, quem videre deſiderabat in ea forma qua indutus in mundũ poſterius venerit,vidit & gauiſus eſt. Adumbrata quidẽ hæc doctrina venerandæ & tremendæ Trinitatis erat, viris tamen illis

Trinitatẽ cõfictã eſſe à Romanis mentitur Franckeu

Gen.18.

ſanctis demonſtrata, Dei patris nomen omnium aures circumſonabat. Fatebantur ſemper Iudæi, ſe Deum patrem in cœlis habere, ad quem cōfugerent, multa de filio Prophetæ locuti: Filius meus es tu, inquit DEVS

Pſalm. 109. pater per os Prophetæ Dauid, ego hodie genui te. Nō refero infinita teſtimonia, quæ tu rides, quæ arrogan-

Francken teſtimonia ſacra ſcriptura reijcit. ter reijcis, & ad Philoſophorum ſapientiam inſipientem, quorum tamen te non omninò familiarem eſſe ſuſpicor: Non eſt enim vno in loco, diutiùs conſiſtere refugis, omniaque ex regula illorum ad ſenſum tuum euerſum reuocas, Trinitatem monſtrum horrendum vocas, atque ea principia, quæ huius diſputationis propria ſunt tollis, noua fundamenta, nouos intellectus religionis ponis. Quod quale ſit, poſterius dicam. Nunc hoc dico, & profiteor, nos dogma Trinitatis, non ab ijs qui idololatriæ dediti erant, pluresque deos co-

Trinitatis dogma vnde. lebant, accepiſſe, ſed ex ipſa ſacra ſcriptura, & oraculis Prophetarum, qui

inſpi-

inſpirati ſpiritu ſancto, locuti ſunt, primum: deinde ab ipſo magiſtro noſtro, redemptore noſtro Chriſto Ieſu, vero & vnico filio Dei accepiſſe. Chriſtus enim ea omnia, quę Prophetæ rectius locuti ſunt, apertè nobis expoſuit, & omnia arcana ſcripturarum nobis aperuit, ac nos in ipſa luce collocauit, hic Deū vnum in ſubſtātia eſſe docet, q̄ ſubſtantia eius tres perſonas & ſubſiſtentias complectatur, Patris, Filij, & Spiritus ſancti, & propterea baptizari nos iubet, in nomine Patris, Filij, & Spiritus ſancti. Loquitur de Patre ad quem vadit, promittit ſpiritum ſanctum ſe miſſurum à Patre: Vt quemadmodū *Ioan. 14.* ille à patre miſſus, Eccleſiam condidiſſet, ita eo ad patrem reuerſo, ſpiritus ſanctus eius cuſtos eſſet, & ita tres eſſe, qui ſalutem noſtram operantur, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, qui tres vnus, & idem DEVS eſt: Trinitatis igitur ratio, non inde hauſta eſt, vnde tu vis, ſed ex oraculis, & Chriſti verbis, cui Trinitatis arca-

arcana reuelanda ſoli aſſeruabantur. Igitur tu, qui non vereris, dum audis plurimis diuinis ſuffragijs diuinarum ſcripturarum Trinitatem perſonarum comprobari, egregiè mentiris, cũ hoc dogma ab ijs, qui Iouem, Iunonem, & alios vanos, tibique per ſimiles Deos coluerint. Nemo hoc præter te vnquam Chriſtiano nomini obiecit. Nemo ad iſtam ineptam caúſam confugit. Vnde erant quæſo Apoſtoli, qui perſonarum diuinarũ, triplicem rationem ſcriptis ſuis eſſe teſtati ſunt? Non coluit Paulus Iouẽ, non Neptunum, non Iunones, Dianas, pro vno Deo ſemper ita certauit, vt fratres etiam ſuos, ad ſupplicia eo nomine, quod Chriſtum Deum eſſe confiterentur, raperet: atqui huius vnius Dei aſſertoris, quis eſt, qui ita tenebris ignorantiæ circumfuſus inueniatur, præter te vnum, qui non videat, cum tres perſonas diuinitatis clariſſimè demonſtrare, vt ſi opus fuerit, in tuis nugatorijs argumentis refellendis docebimus. Nunc vno verbo tibi Trinitatis dogma ad idololatras

tras releganti reſpondeo, te mentiri, impudens eſt hæc tua oratio, quæ & innumeros ſanctos, & Trinitatem perſonarum diuinarum, quaſi maiores Deos ab idololatris inductam eſſe aſſerat, impudenter oracula diuina, quibus dogma venerandæ Trinitatis comprobatur, repudias, ac fundamentum religionis Chriſti tollis. Neque tibi nunc reſpondebo de inuocandis ſanctis, nihil de ſenſu multiplici, à patribus inſtituto, interpretandarum ſacrarum litterarum. Nihil de purgatorio dicam, relinquam etiam cætera, quæ tu vt canis fugiens è tuo nilo hauſta inſpergis: ſcholaſticos reprehendis; ſua volumina hæc poſtulant, & à multis, & grauiſſimis viris defenſa. Non vno ſenſu, ô brutũ animal, Chriſtus verba ſua accipi docuit. parabolas ſuas interpretatus, opes ſpinas eſſe iudicat, templum corpus ſuum vocat, non ſolam hiſtoriam in verbis ſacræ ſcripturæ ſpectamus, altiora perſcrutamur, vt Chriſtus præcepit, dum Iudæos moneret, vt ſcripturas quæ de ſe loquerentur, perſcru-

Chriſtus non vno ſenſu verba ſua vult accipi.

perſcrutarentur diligentiùs, & ſub litera, vt cortice, nucleum & arcanum ſenſum perquirent, interpretatus Paulus, & montem Syon, & Agar, & Iſmaelem, & quid illa præter Hiſtoriam intus complecterentur, monuit Galathas. Quare tu vt cætera tua impudentia inuaſiſti, ita & ſenſus plures, quibus Eccleſia Catholica ſacris literis explicandis vtatur, euertere conaris; ipſe ſenſu recto deſtitutus. Cum enim probare conſtitueris, Trinitatem diuinarum perſonarum confictam eſſe ab ijs, qui idololatriæ addicti eſſent, multoſque Deos colere conſueſſent, quales potiſſimum Romanos vis eſſe, quorum vrbs omnium falſorum deorum, ſedes fuerit, illo argumento vteris: quali quiſque ingenio ſit, quibuſque moribus moratus, talē religionem eū fingere, quod Ariſtotelis teſtimonio, de ſummo bono diſertè demōſtras; ille enim ait, qualis quiſque ſit, tale eum ſummum bonum ſtatuere & iudicare: inde verò infers, Romanos, quod vel natura, vel moribus, vel cō ſuetu-

ſuetudine ad plures Deos colendos propenſiores eſſent, recepta fide Chriſtiana, ex vno Deo, tres feciſſe, addito patri, filio, & ſpiritu ſancto. Cõfirmas id alijs exemplis, vt ſcholaſticorum, qui quod ingenio abundarent, diſſertationibus infinitis ſe dederunt, ac omnia in controuerſiam vocarunt, ꝙ eius generis ſtudio delectarentur, & tanquam in ſummo bono acquieſcerent, addis & Germanos propterea repudiaſſe bona opera, quod nimium libertatis ſtudioſi eſſent, totamque religionem ſuam, in ſola fide, quæ libertatis eſt noſtræ fons amplexos eſſe: multa & alia nugaris, ſenſum triplicem interpretandæ ſcripturæ rides, & hanc technam à Doctoribus inuentam, cuius velint religionis & confingendę, & in animis hominum ſtabiliendæ. Et propterea ais, ſi vno ſenſu doctrina illa commendari nequeat, alio ſenſu eam commendari, & quaſi nouo colore faciem eius depingi, ac ita homines decipi, vt idola, ab eis fabricata colant, quam religionem ne homines contemnãt, ais *Inſigne mendacium Francken.*

nos

1. Corint. 2. nos ad illa Pauli verba confugere, animalis homo non percipit, quę ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia eſt illi, nec poteſt intelligere, quia ſpiritualiter diju dicantur, quæ quidem verba trabalem clauum, quo religio fabricata animis hominum affigatur, vocas, quo clauo humanæ rationis naturale lumen, diuinis in rebus effulgens, planè extingui ais. ô hominem peruerſum & ſceleratum, non ſatis illi eſt, quicquid in buccam venerit, effutire, & in rebus ſerijs nugari, niſi etiam palàm ſcripturæ, & verbis Apoſtoli inſultet, immò damnet, & Paulum vas electum Chriſti, ſceleris accuſet, quod ille ſuis illis verbis, & diſciplina ſua, lumen natiuum rationis noſtræ, quod in rebus diuinis luceat; hoc verò eſt, ſine quo, vt luce res diuinæ capi, & intelligi nequeant, extinguat, credereque illis, quæ capere homo nequeat, cogat, in quo ſceleratus homo bis peccat, & quod Pauli verba ſugillet, & quod lumini rationis naturali, myſteria & arcana rerũ diuinarum ſubijciat, ſenſuq; ſuo omnia

Francke verbis Pauli inſultat.

Francken peccatum.

nia,vt bellua metiatur,cum non ſenſu neque ratione arcana ea apprehendantur,ſed fide, quam Chriſtus, vt certiſſimum modum cognoſcendorum myſteriorum DEI demonſtrauit,ac ſenſui & rationi noſtræ, vt lumē clariſſimum adhiberi ſuaſit: quā lucernam qui non proferet, in arcana illa ingredi, tenebris ignorātię oppreſſus non poteſt: Philoſophorum lumen eſt, ſenſus & ratio, nobis qui Chriſti ſumus, tenebræ; lux vera, quæ illuminat homines, eſt Chriſtus Iheſus, in cuius obſequium captiuandus eſt intellectus, nemo ad hoc lumen ſine lucerna fidei venire poteſt, fidei lumine extincto, nox atra incubat ſenſibus & rationi noſtræ. Verè igitur animalis homo eſt, qui ſenſum ſequitur, vt animalia bruta, quæ ad ſola ea mouentur, quæ ſenſu apprehendunt, in quo genere hominum noſter hic doctor Franckē, vel princeps eſt, nihil hic reuelationi ſpiritus ſancti tribuit ſtultitia ſunt illi, reconditi ſcripturæ ſenſus, quos Chriſtus ipſe Iudæos in ſcripturis, quas legerent,

Franckē animalis homo.

Ioan.5. perſcrutari ſedulò iubet. Non placet iſti bruto Pauli dictum de animali homine, non probat reuelationem ſpiritus, ſenſui res diuinas ſubijcit. Quam ſuam ſtultitiam Chriſti parabolis ornat, quem ait ianuam ad idololatriam Pauli, de homine animali, verbis ad idololatriam apertam, clauſiſſe prorſus, arcana illa ſua, quæ nobis è ſinu patris attuliſſet, ſenſui ſubiciſſe, cùm parabolis rebuſque naturalibus iudicari vellet de rebus ſpiritualibus, quod eius mendacium, quam *Mendacium Prancken.* impudens fuerit, quis ita brutus eſt qui non videat: non ſubijcit Chriſtus arcana ſacra, quę ineffabilia ſunt, bruto ſenſui, ſed hominem cum ſua ratione humi iacentem, per ea quæ etiam ſenſus cernit, erigit, & è rebus notis ad res reconditas, & à ſenſu remotas ducit, vt ex ſimilitudine eorum, quæ videantur, inuiſibilia illa, quæ nobis nunciantur, vera eſſe credantur, è rebus ſenſatis ad ea quæ excedant ſenſus & rationem, peruenitur, ex rebus creatis, rerum conditorem Deum philoſophos cognouiſſe Paulus

Cur parabolis vtatur Chriſtus.

lus teſtatur, à qua quidem cognitiõe *Ad Rom. 1.*
exciderunt, propterea quod ſenſibus
& intellectui ſuo eũ ſubijcere volue-
rint. Hoc.n. Paulus ſignificat, cũ dicit,
cognouerunt Deũ, ſed non glorifica
rũt vt Deũ, cuius maieſtatem cũ vene
rari ſupplices, ac tremebũdi, gratiaſq;
agere, quod in agnitionẽ eius deducti *Cur Philoſo-*
& admiſſi eſſent, deberent, temere & *phi exciderũt*
arroganter eã ad ſuas rationes voca- *à veritate.*
runt, ſenſibus ſuis & rationi ſuę, vt iu
dicibus eam examinandã ſubiecerũt,
volentes ampliùs etiam quiddã inue
nire, non contenti quos inuenerant
cognitionis diuinæ terminis, quod
dum conantur, omnia ratiocinatio-
nibus ſuis ſubuerterunt, gloriam in-
corruptibilis Dei, in ſimilitudinem
imaginis corruptibilis hominis, &
volucrum, & quadrupedum, & ſerpẽ
tium mutauerũt, & ipſi in cogitatio-
nibus & ratiocinationib. ſuis euanue
runt, corq; eorũ inſipiens obſcuratũ
eſt, & ita tenebris immerſũ, vt nunq̃
deinceps, ad lucẽ veritatis emergere
queant: quemadmodũ enim inquit
os aureum Ioannes Chryſoſt. Si quis

in obſcura nocte, aut ignotam viam ingredi, aut mare nauigare tentauerit, non ſolum ad eum quem ſibi propoſuit locum, & finem nō peruenit, ſed confeſtim errando perit: ſic illi qui viam ad cœlos tendentem adorſi, lumine huic itineri neceſſario prorſus abiecto, loco illius cogitationum ſuarum tenebris vtuntur, ſeipſos inuertunt, & in corporibus incorporeum, & in figuris infigurabilem Deum quærunt, grauiſſimum patiuntur veritatis & vitæ naufragium, & cum volunt nimium eſſe ſapientes, ſtultiſſimi fiunt, & omni recta ratione, quę Maieſtatem diuinam cum tre more venerari ſuadet, exuuntur, & in ſenſum reprobum dantur, ingreſſi erant iſti viam in cœlos tendentem, ex rebus creatis, in quibus cognoſcendis multum elaborarunt, Deum qui omnia à ſe facta, miro ordine & prouidētia ſumma gubernaret, & vnum eſſe à quo omnia dependeant, confeſſi, luce illa diuinitatis vltrò ſe illis ingerente, ſuoſq́ue ſenſus illuſtrante, & veritatem monſtrante, in qua cum acqui-

Quomodo philoſophi cognouerūt Deum.

acquieſcere deberent, altiùs ſuos illos ſenſus & vim intelligendi inferre conati ſunt, & reiecto lumine fidei, rationum ſuarum tenebras ingreſſi, via exciderunt, veritatis naufragium fecerunt, & pro ſapientibus ſtulti facti ſunt, & vt Deum cognitum, non eo honore, qui illi debetur, honorarunt, ita etiam ſeipſos horrendis ſceleribus deturparunt, ac varijs & mutuis contumelijs corpora ſua affecerunt, erroris ſui & veritatis contemptæ prçmia referentes, & tu quidem cœciſſime homo, horum ſapiētiam laudas, ad horum ſubſellia Chriſtum trahis, lumen fidei extinguis, tenebras rationum, & ſenſus tui, & rerũ corporearum rationes ad diuinæ maieſtatis incomprehenſam naturam transfers, idq́ue authoritate Chriſti, quem euertere inſtituiſti, legitimè te facere, oſtendere conaris: ais enim eum ex parabolis, rebuſq́ue naturalibus iudicari de rebus ſpiritalibus voluiſſe, quod tuum mendacium clariſſimè Paulus ipſe refutat, & quæ mala error iſte tuus ſecum trahat, luculen

Pœna veritatis cognitæ deſerendæ.

ter docet. Inuiſibilia quidem per res
Ad Roma. 1. viſibiles conſpiciuntur, & eſſe cognoſcuntur. Verumenimuerò, vt ad rationes corporearũ rerum illa incorporea, & incomprehenſa redigantur, & ſecundum ea iudicentur, non eſt conſequens eſſe ea, res corporeę iudicant, non qualia ſint explicant, alio lumine ad cognoſcendam vim & naturam eorum, opus eſt, fide ſcilicet, q̃ ſola arcana illa inuiſibilia cõtuetur: non ſunt inquis miſteria religiõis noſtræ, contra rationem: quomodo enim (ais) in ea aſſurgi poſſet miniſterio rationis: non equidem ſunt cõtra rationem, ſed ſunt ſupra omnem & ſenſum & rationem, pax Dei, quę (in-
Philip. 4. quit Paulus) exuperat omnẽ ſenſum, cuſtodiat corda & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu: Pax Dei, inquit Paulus, omnem ſenſum exuperat. Igitur pax illa, quã Chriſtus nobis à Deo patre attulit, ſenſu apprehẽdi nequaquã, nec ratione comprehẽdi poteſt, quod cum ita ſit, quomodo ad rationẽ reuocari, & ſenſu iudicari poterit? quæ ſola fide apprehendatur; rationi

re-

regenerationem Nicodemus ſubijce re volebat, vt iam diximus, ſenſum ſe quebatur: propter quod ſtatim audit: Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Cur ignorabat? quia lumine ſi dei deſtituebatur, ad quod lumen, cũ rationis & ſenſus tenebris relictis trã ſiſſet, quæ illa, & qualis generatio eſſet, intellexit: non potuit Paulus, quẽ Chriſtus ipſe vas electum ſuo portando nomini eſſe voluit, altitudinem diuitiarum & ſapientiæ eius comprehendere non potuit, vocationis gentium, & reprobari Iſrael, rationes & cauſas explicare; ingreſſus quidem in eam explicationem, ſed ſtatim agnoſcit, & humani ingenij infirmitatem, & rerum diuinarum profunditatem; vnde præciſa diſſerendi illa ratione exclamat: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, incomprehenſa ſapientia, & conſilia inenarrabilia agnoſcit Paulus, quæ tu ſenſui tuo & rationi ſubiecta eſſe vis.

Iohan. 3.

Ad Rom. 11.

Paulus arcana Dei capere non potuit.

Et ille quidem in tertium cœlum raptus erat, cum Chriſto locutus, tu in cœno vitiorum tuorum volutaris. Si illius puriſſimus ille animus, diuina conſilia capere non potuit, qui ea, tua mens improba capiet? Cum neq; religionis eius, quam Chriſtus tradidit, capax ſit, vt tu ipſe in tua præfatione, dum Chriſtianorum crudelitatem accuſas, fateris. Negas enim tibi munus illud fidei datum eſſe, & inde eos crudeliter agere arguis, quod a te expoſcant, quod tu impetrare nequiueris: ad ſenſum Capharnaitæ, & ad rationem ſuam CHriſti verba vocabãt, cum ſuam carnem & ſanguinem eis ſe daturum diceret, ſcandalizati diſcedunt, & doctrinam vt non ferendam & duram repudiant, quorum tu nunc corculum eſſe videris, qui ſacroſancti Sacramenti omnes rationes euertis, ac ita rides, vt Luciani impudentiam, & Porphyrij impietatem ſuperes. Non eſt equidem religionis noſtræ, natura rationi contraria, ſed non inde ſequitur, rationem noſtrã iudicem religionis noſtræ eſſe oportere

2. Corint. 12.

Ioan. 6.

tere. Nam quemadmodum lumen paruum, quo exemplo tu vteris, lumini magno collatum etſi contrarium illi non ſit, euaneſcit tamen & obruitur, quod in lucerna, ſole ſplendēte, facilè eſt videre, ita rationis noſtræ lumen, diuino lumini collatum nil eſt, tenebræ, fit, euaneſcit, & vt cæra igni admota liqueſcit, & diffluit: Scrutantes maieſtatem Dei, opprimuntur à gloria, inquit ſcriptura, quod ſi ita eſt, quomodo iſta tua ratio, ad quam altitudinem diuitiarum Dei, & incomprehenſam ſapientiam eius vocas non euaneſcet, ei collata, quo modo à lumine illo, in quod nec angeli quidem, etſi deſiderant, proſpicere audeant, non opprimetur? vna ſcintilla rationis manente, errores monſtroſos deprehendi poſſe ais, quem igitur errorem tuæ iſtius rationis ſcintilla deprehendit, dic quæſo: totam inquit in tenebras & ſtultitiam verterunt humanam rationem, Chriſtianæ fidei oracula contemplari conātem, vt ipſæ errorum tenebræ, quantæ eſſent, nemo videre poſſet. Hîc ergo

Prouerb. 25.

1. Petr. ca. 1.

go error ille eſt, quem ſcintilla tuæ rationis deprehendit, magna vis tuæ iſtius ſcintillæ eſt, magna incendia in religione excitat, infinitaſq; flammas mendaciorum vomit, error eſt tibi illa Pauli ſententia, animalis homo, quæ ſunt ſpiritus Dei, capere non poteſt. Hic eſt ille clauus trabalis, qui lumē rationis tuæ extinxit, ac tenebris tuos ſenſus inuoluit, quem clauum Pauli ſtultitiam vocat, homo impudens iſte, cui ſola ratiocinatio ſophiſtica prudentia eſt. Nec ſatis huic inſano in Pauli verba inſanire, & ad ſenſum inſenſatum, rationemq; ab omni ratione recta alienam, ſcripturam diuinitus inſpiratam, & fidei rationes reuocare, niſi etiam diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ ſupplicijs malorum, & præmijs bonorum contineatur, & vegetetur improbet, quaſi hoc aut Tyrannorū, aut callidorū hominum inſtitutum ſit, vt & mali ſupplicijs coherceantur, & boni præmijs & honoribus exornentur: contempletur rogo tua iſta mens acuta, ſcripturas ſacras, voca in tuum iudiciū Moyſen,

Scintilla Frācken incēdia vomit.

ſen, atque adeo etiam ipſum Deum, quo dictante, Moyſes legem ſcripſit, docebunt certè te, ſupplicijs & præmio homines in officio teneri, vt primū Deus hominem condidit, legem ei appoſuit, quæ & ſupplicio à præcepto ſuo diſcedentē terreret, & pmia obedienti, & ſeruanti mandatum oſtentaret, ſuppliciū mortis preuaricāti minatur, vitam æternam, & beatā, & paradiſi voluptates, mādata ſua ſeruanti promittit. Vt primū igitur ſua præcepta & legem datam violauit, vt primum ad vetitum fructū manus intendit, mortis reus damnatur, paradiſo extruditur, in ſudore vultus ſui, & labore veſci pane iubetur, & alijs ſupplicijs & ærumnis obnoxius redditur. Vidésne vir acute, Deum ſupplicijs & præmijs religionem ſuam, pręcepta ſua, & diſciplinam Eccleſiæ muniuiſſe, & non Tyrannos, nec callidos homines; ſed ipſum benigniſſimum & ſapientiſſimum Deum eam rationem inſtituiſſe, vt legis inſtitutæ violatores ſupplicijs coherceantur, cuſtodes eius honoribus cumulentur.

Diſciplinæ inſtitutores.

Geneſ. 2.

Adami damnatio.

Phi-

Phinees legis diuinæ zelator, perpe
Num. 25. tuum ſacerdotium à DEO meretur,
ligna ſabbatho legentes lapidantur,
Leuit. 24. Aegyptio patre natus, in religionem
illam Moyſi inquirens, occidi à Deo
Num. 12. iubetur. Maria ſoror Moyſi lepra de-
turpatur, extra caſtra eijcitur: vitulũ
Exod 32. adorantes, à Moyſe cędi iubentur: tri
bus Leui, quæ vituli adorationem, &
improbauit, & vlta eſt à Deo, in ſuam
ſortem allegitur, religioni cuſtos &
miniſtra datur, omnium fructuum
Num 18. decimas, à toto Iſrael capit, contro-
uerſias arduas arbitratu ſuo decidit,
de lepra iudicat, alios extra caſtra eij-
cit, alios recipit. Non refero ſuppli-
cia, quæ Moyſes ſceleratis, legiſq; vio
latoribus, vanas religiones docenti-
Num. 12. bus, plebem ad impietatem incitan-
tibus ſua lege irrogat. Nouiſti vir a-
Num. 16. cutè Dathan & Abyron, non igno-
ras filios Aaron, prophanum ignem
Num. 3. ſa ris inferentes, præſenti ſupplicio
affectos, & ea ipſa flamma, quã accẽ-
1. Reg. 16. debant, cõſumptos. Stat ante te Saul
1. Reg. 31. impius. & mandati Dei negligens, o-
ſtentat tibi & ſuas, & totius domus
ſuæ

ſuæ ruinas: incurret ſi voles, in oculos tuos Dauid dilectus Deo, Regno perpetuo donatus, honoribuſque infinitis exornatus, quod legis diuinæ & religionis veræ amantiſſimus, & Dei præceptorum obſeruantiſſimus fuerit. Hæc igitur ad tuas rationes reuoca, Deum cogita, & deſines, & prȩmia in Eccleſia Chriſti, bonis & modeſtis propoſita, & ſupplicia malis irrogata, reprehendere: non temerè & ſupplicijs turbantes religionem Eccleſia cohercet, & antiſtites cuſtodeſque & propagatores eius honorat, Chriſtus ipſæ ſeruatæ religionis ſuæ magna prȩmia propoſuit, magnis honoribus Regni cœleſtis, ad fidem ſuam, religioniſque ſuæ cultum excitat; grauia ſupplicia, & ignes ſathanæ accenſos impijs minatur, ſecundum cuiuſque opera ſe præmia in die illa, qua mundum iudicaturus eſt, redditurum denunciat: Apoſtolis, quod ſuis omnibus relictis ſe ſecuti ſint, cētuplum præmium, & vitam ȩternam largitur. Sed vt video, hȩc tibi nō placent exempla, nihil enim tibi vis eſſe

Matth.25.

Matth.19.

cum

cum ſcriptura diuinitùs inſpirata, nihil cum ijs quæ à ſpiritu ſancto reuelantur, quæ ſtultitia tibi ipſiſſima videntur, quæ animalem hominē, qui ratiōe in arcanis diuinis vtitur vocāt. Conferamus nos ad illos tuos ſapientes Peripateticos, ingrediamur in eorū policias, videamuſq́; an etiam illi ſuas illas quas cōdūt ciuitates, legib. muniant, quid ab ente ſuo illo, extra cœlum manente, & omnia diſpēſante, de ratione rerum publicarum conſeruanda acceperint, quibus rationibus diſciplinam ciuilem communie-rint. Equidem Francken, non alia eſt ratio eorum, ciuium in officio retinēdorum, legumq́; conſeruandarum, quàm ſupplicia improbis, præmia & honores bonis ciuibus propoſita. Tū dixit quidā fore Reſpub. beatas, cum mali pœnas darent, boni præmijs honorentur, malis & ignauis puniēdis, virtute honorāda Romana Reſp. creuit, tū maximè Eccleſia viget, tū religio floret, cū pietas & virtus in ea honoratur, tum turbatur, cū vitioſi homines, cū libidinoſi, cum auaritia, cum teme-

Rerum publ. auctores præmijs et pœnis ciues in officio continent.

Religio quando floret.

temeritas in ea ſe iactant, & boni præmijs & honore excitãdi, & veſtra iſta improba mens, audacia, impudẽtia, qua religionem optimè fundatam, à ſanctis viris, turbatis ſupplicijs cohercenda, & quaſi luxurians, ratio veſtra falce diſciplinæ concidenda, & quaſi inſolens equus, carceribus includenda, & fidei legibus ſubijcienda. Sed ad tua illa diuina, & nunq̃ fallentia Critiria veniamus: nã quod Doctores Eccleſiæ, alios maiorũ deorum claſſi includis, alios minorũ gentium vocas, prætereo, non ſolũ doctus & ſæuerus religionis noſtræ cenſor eſſe voluiſti, verũ enimuerò etiã facetus: & quidẽ liceat tibi etiã interdũ iocari, vt ſæueris mendacijs interdum relictis, iocis & ſcõmate animum tuũ paſcas & foueas, feſſumq́; tã multa mentiẽdo refocillare, & ad blaſphemias in Chriſtũ & ſpiritum ſanctũ vomendas: robuſtiorẽ reddere. Sint ſanè maiorũ gentiũ doctores, Auguſtin. Hieronymus Ambroſius: Sint minorũ, Origenes, Lactant. & cuius tu acumini par es, Scotus. Critiria tua q̃ tria eſſe ſtatuis, viden-

Seria mendacia Francken

Critiria Francken.

videnda, & in quas latebras nos trahant. diligentiùs nobis eſt prouidendum. Atque huic quidem inquis rei, certiſſimam facere fidem, tria poſſūt Critiria, nunquàm fallentia ſigna. E-

Verg.6. quidem Cyclopum educta caminis mœnia conſpicio, atque aduerſo for

Arx mendaciorum Francken quam firma. nice portas, ſolido adamante munitas. firma ſunt tua iſta, ſub rupe ſiniſtra mœnia, triplici circumdata muro Nulla vis virorum, nec ipſi cœlicolæ exſcindere ferro ea valent; maximè quod ea rapidus flammis ambiat torrentibus furoris tui amnis. Tartareus Phlegethon, torqueatque mendaciorum tuorum ſonantia ſaxa, Tyſiphoneque ſedens palâ ſuccincta eruditionis tuæ, & ſenſus intellectuſque tui; ad cuius examen religionis, rationes reuocas omnes veſtibulum inſomnis ſeruet, nocteſque dieſque: muniuiſti igitur ſedes doctrinæ tuæ, ſolida & Adamantina poſuiſti fundamenta, ſuffulſiſti impias & horrēdas in Chriſtum & ſpiritum ſanctum, atque adeò in totam tremendam Trinitatē blaſphemias, ſtat pro foribus arcis

arcis tuæ ferrea turris, Sophiſtarum præſidijs plena, cui religionem Chriſti incluſiſti, vt veritatem & iuſtitiam in tenebris mēdaciorum tuorum detineas: exaudimus eius gemitus, ſtridoremque ferri, tractæque cathenæ, habes aulam in qua te iactes, in qua virtutem Chriſti Ieſu, & poteſtatem, in qua venturus eſt mundum iudicaturus, non metuas: Vnde omnis generis conuitia iacias. Nemo ad te viam affectare poterit, nulli fas caſto *Verg. 6.* ſceleratum inſiſtere limen tuum, in quo tu caſtigas religiōem, audis ſubiiſque ſanctos Patres, dolos fateri, Chriſtum & ſpiritum ſanctum, vt iniuſtos poſſeſſores diuinitate exſpolias, & in ordinem numerumque, vel hominum, vel cuiuſuis creaturæ redigis, quib. Tyſiphone ternos, magiſtra mendaciorum & impietatis, intentat angues, vocatque ſubſidio agmina furiarum. Sed iam pandantur tuæ arcis portæ, vt penetralia ingreſſi, videamus quæ illa ſunt critiria & ſigna cōfictæ doctrinę, de Trinitate cognoſcendę: ſed antequam aditum limen-

que occupemus, corpus noſtrum recenti ſpargemus aqua, noſq; aduerſus venena tua muniemus, ne nobis quippiam alleuiatur, ex ijs quæ ibi ſcelera lateant, & pede ante fores fixo, aliquid de ratione diſputationis noſtræ, examineq; ad quod vocamur à te, religiõis tecum agemus: volumus enim diſputationem eã, & iudicium religionis certis legib. muniri, & non niſi è principijs eius proprijs exordium eius deducere, nõ ignoras tu quidem, quem Peripateticæ diſciplinæ aſſertorem ſæuerum eſſe video, Ariſtotelem dicere ſolere, cum eo, in diſputationem non eſſe deſcendendũ, qui principia (quæ ſunt fontes, diſſerendi de rebus, & veritatis quæ inquiritur) aut ignoret, aut neget. Omnis enim veritatis perueſtigatio, ex principijs petẽda, & proinde omnem diſquiſitionem, ratione ſuſcepta à definitione, quæ ipſa eſt principium proficiſci debere, graues viri cenſuere; oportet enim vt animus diſquirentis habeat, vnde hauriat argumenta, & quò ſe referat, in quo conſiſtat, ne in diſſe-

Diſputationẽ de religione ex proprijs principijs proficiſci debere, non ex philoſophorum dictis pendere.

differendo Andabatarum more tumultuetur, & non quod ratio dictet, ſed quidquid in buccam temerè venerit, dicat; ſed neque ignoras, præter illa communia, quæ omnibus ſunt nota, & quæ luce ſua naturali ſe produnt, quæ axiomata, & communes ſententiæ (quibus auditis ſtatim vt veris credatur) appellantur, quod genus fuerit. Omne totum maius eſſe ſua ipſius parte, & pleraque alia, quæ non ſolùm natura ſua vera ſunt, verùm etiam omnibus vera eſſe videantur, vnamquamque ſcientiam habere ſua principia, per quæ ea quæ conficere & concludere voluerit, demonſtret, vt in ea ſcientia, quæ naturæ vim ſcrutatur, ac rerum naturalium rationes explicat: Princeps eſt ſententia: Naturam eſſe principium motus & quietis: Omnia corpora grauia ſuo pondere ad ima ferri, ea verò quæ omni pondere careant, ſua illa leuitate ſuperiora petere loca, & cætera multa. Habent ſcientiæ Mathematicæ Axio-

Principia alia ſunt communia, alia propria ſcientiarum.

mata ſua: vt, punctum eſſe, quod diuiſionem nullam admittat: lineas ex eodem centro per idem ſpacium ad eandem circumferentiam deductas æquales eſſe: Si ab ijs, quæ æqualia & paria ſint, partes æquales, pareſq́, auferantur, paria & æqualia eſſe, ea quæ remaneant, ita cæteræ omnes ſcientiæ & artes habent lumen ſuum, vnde cætera quę obſcuriora ſint, & in tenebris ignorantiæ lateant, illuſtrentur, & in cognitionem hominum deducantur; dabis certè hoc nobis, omnes ſcientias habere ſua principia, niſi fortè fateri volueris, te in nullo genere ſcientiarum, atque artium, ea ratione, quam eruditi poſtulant verſatum eſſe, temereq́ue de rebus ſtatuere. Neque ignoras, non omnibus omnia æquè vera & probabilia videri. Habent ſingulæ diſciplinæ Philoſophorum ſuas concluſiones, ſua principia, quæ cũ alijs nõ probẽtur, apud eos ſummum locum veritatis & certitudinis teneant, non omnia ſiquidem omnibus probabilia videntur: nam vt omnibus ea concluſio probabilis

Non omnia omnibus probantur.

bilis ſit, parentes eſſe colendos: nemo enim tam barbarus inuenitur, qui hoc non probet, quaſi natura ipſa eum id docente: ita non omnibus verum eſſe videtur, mundum prouidentia diuina gubernari: non deſunt enim, qui omnia caſu & fortuitò ferri ac miſceri aiant. Mundum initium habuiſſe, non deſiturum tamen Plato docuit, quod ſchola Peripateticorum duce Ariſtotele improbat, ac pro eo pronunciato, illud ſubſtituit: Omnia orta occidere, & aucta ſeneſcere, mundum neque exordium, neque finem habiturum vnquam. Alia probarunt illi, qui à porticu nomen acceperunt Stoici: alia, Academici: alia, aliæ hæreſes Philoſophorum, cũ quibus, & contra quos, ſi differẽdum ſit de quapiam re, quæ in controuerſiam deducta fuerit, vinci ſe non patientur, niſi probationes & argumenta ea, ad eorum principia referantur, & ex illis concluſio conficiatur, quæ illi vt certa & indubitata habeant, & probent. Quod cum ita ſit, quęſo te, è quibus principijs, & cuius diſciplinæ

ſentẽtijs diſputationem tuam aduerſus tremendam & venerandam Trinitatem inſtitueris, è qua materia, machinas tuas illas, quibus cœlũ expugnaturus es, fabricatus fueris, quæ illa tua Epicheirematum acies eſt, ad ſenſum omnia reuocas, rationi tuæ religionis vim ſubijcis, ad principia Peripateticæ ſcholæ, Chriſtum cum ſua doctrina & Eccleſia obtorto collo trahis; quaſi Chriſtus ſuæ doctrinę ſua non habeat principia, quaſi ille ſapientiam philoſophorum, nõ reprobauerit quaſi naturæ leges non impoſuerit, ac aliter quàm Ariſtoteles & putauit & docuit & fecerit. Negat Ariſt. regredi poſſe à priuatione ad habitum, à morte ad vitam: at Chriſtus multos mortuos vitæ reddidit, & priuatiõe illa veſtra reiecta, habitum viuendi eis reſtituit, & retrò reddere
Ioan. 11. iuſſit, Lazarum non modo vita priuatum, ſed etiã fœtentem ac putrem ad
Ioan 9. *Marc.* 4. vitam euocauit, cæcis lumẽ reſtituit,
Matth. 14. ventis imperauit, mare calcauit, neq; tamen mergebatur ſecundũ veſtrum illud principium, corpora grauia ad

ima

ima ferri. Fatetur Moyſes, mundum ex nihilo Deum confeciſſe, quod Ariſtoteles negat, dicens ex nihilo nihil fieri, qui propterea principium rerũ naturę confinxit Materiam primam, quam, neq; quid, neq; quantum, neq; quale eſſe voluit, hoc verò eſt, nudũ & informe idolon, cui Peripatetica ſchola inſaniam ſuam offerat, ac in eius cultu deſipiat: materia enim illa informis, nihil omninò eſt, præter merum Ariſtotelis inſaniæ argumentum, & figmentum prophanum: ſed ad noſtra redeo, habet religio noſtra & tota diſciplina Eccleſiæ Chriſti nõ ficta, vel à te, vel à tuis prophanis magiſtris Critiria, & principia Axiomataque, ſed ab ipſo Deo patre, qui locutus eſt nobis per Angelos & Prophetas ſuos, multis modis & multifariè, nouiſſimè aũt per filium ſuum vnigenitum & æternum, & ſibi cõſubſtantialem, & qui eſt ſemper in ſuo ſinu. Hic enim ſolus eſt, qui in patre ab æterno manet, & pater in eo, qui cũ patre vnum ſemper ſunt, qui ſolus voluntatem eius nouit, qui

Ariſtot. materia prima figuratum.

Materia prima quid ſit.

Ioan. 1.

Ioan. 14. eſt vita, veritas & via noſtra, hic eſt author, & conditor religionis Chriſtianæ, quæ & nomen ab eo recepit: Hic leges nobis poſuit, hic Eccleſiam inſtituit, veros qui ſint, & falſos Doctores demonſtrauit, normamq; & *Ioan 10. Matth. 1.* amuſſim infallibilem cognoſcēdę ve *Signa Eccleſiæ vnde petenda.* ræ religionis in Eccleſia reliquit; non ab Ariſtotele tuo non Platone, cæteriſque non tam Philoſophis, quàm mundi hiſtrionibus petitam; ſed à Deo patre traditam, qui vndè initiū doctrinę ſuæ ducat, in quo ſummum illud bonum, & finem illum vltimū, ad quem omnia ſtudia referri philoſophi cenſuerunt, in quo quærendo deſudarunt, conſtituat, videmus, nō *Matth. 5.* opes certè, neque honores, non voluptates Epicuri, non ſtupentem & ſenſu omni exutam virtutem, cum Zenone iactat, ſed paupertatem, non quamuis, ſed animi, à qua philoſo*Philoſophorum vana doctrina* phi alieni ſemper erant, qui cum corporeas opes deſpicere ſe ſimularent, animo tumebant, & ſe ſolos beatos eſſe fingebant, quorum Chriſtus, vt vanam doctrinam mundo demonſtraret

ſtraret, beatos eos eſſe docet, qui ſpiritu pauperes ſint, quorum opes & patrimonia, cœlum ipſum eſſe monſtrát. Paupertas igitur animi & modeſtia, quā quod homines ab alto reuocatos, humi locet, & animos eorum ſternat, vt cognoſcant ſe puluerem eſſe, & vnde orti ſunt, reuerſuros ſe ſciant, humilitas ab eius veris diſcipulis vocatur, beatitudo noſtra illa eſt, per quam ad finem optimum deducamur, ac Regni cœleſtis poſſeſſionem adeamus, mites ille & manſuetos, non ſophiſtas clamoſos, atq; perpetuò rixantes, beatos eſſe ſtatuit, quibus adiungit, non qui in voluptate perpetua carnis volutentur, nō eos, qui ſymphonijs & iocis vacent, & ob ſuam fœlicitatem, opeſq;, & voluptatis plenam vitam lætentur ac rideant, ſed qui calamitatem humanā, cuius peccatum fons ſit, deplorent, ac lugeant, quos eſurire, ſitire, miſericordes, & corde mundos, paciſque ſtudioſos eſſe vult; quorum omnium quæ præmia ſint, ſi tibi tui impoſtores oculos ſuis ſophiſmatibus nō *Humilitas vnde dicta.*

clauſerunt, facilè vides. hæc Critiria eſſe ille voluit ſuorum diſcipulorũ: Hoc principiũ doctrinæ eius eſt, quæ ſi tu ad ſenſum & rationes tuas deducas, ſtultitiam pronũciabis eſſe: ſunt enim hæc omnia illis bonis, quæ philoſophi laudant contraria, iã illa, cru
Matth. 16. cem ferre, non modò patrem & ma-
Matth 22. trem, liberos, coniuges deſerere, ſed ſeipſum etiam abnegare, omnia relĩ-
Matth. 19. quere, omnia vendere, & pauperibus dare, nihil ſibi præter odia hominũ, laborem, ærumnas, cum veritate & cruce relĩquere, qualia ſint vides. Sed quorſum inquies, hæc tam copioſè?
Critiria vera religionis. vt ſcias alijs principijs, & Critirijs religionis iudicandæ, tibi, ſi verã religionem agnoſcere voles, opus eſſe, nõ illis q̃ tu tibi ineptè fingis, non tyrãnis diſciplina religiõis noſtrę tibi, ſi Chriſti fundamenta & principia eius doctrinæ inſpicias, ſed illa via qua beati reddimur, videbitur, tyrãnus eſt tibi
Cur Chriſtus Francken tyrannus videatur. Chriſtus, qui omnia mundi huius bona, te cogit deponere, q lugere, crucẽ poſt ſe portare iubeat. Tyrannis eſt tibi diſciplina Eccleſiæ, quæ te ad præ-

cepta ſua ſeruanda, & ratione tua o-
miſſa, qua tu omnia metiris, & pro li-
bidine tua religionem inſtituis, co-
git, fidemq; ſolam, cuius animalis ho
mo maieſtatem non capit, tibi inge-
rat, & eam ſolam viā, qua Deum pa-
trē, & filium, & ſpiritū ſanctum vnū
Deum in ſua ſubſtantia, & trinum in
perſonis agnoſceres, tibi mōſtrat. Ne
que enim vlla alia ratione arcana hęc
apprehenduntur, nec ſenſus, nec in-
telligendi vlla vis hæc comprehende-
re poteſt; fidei ſoli hæc eſt materia ob
iecta, quod quia non ad tuum palatū
coquimus, tanquam per rimā mus e-
labi nobis conaris, & inter ſpinas cri-
tiriorum tuorū, quæ tria eſſe religio-
nis cognoſcendæ, pro tua tā graui au
thoritate ſtatuis, abdere te cōtendis,
vt inde prorepens nobis obſtrepas, &
veritatem arrodas, quo cū te cōieciſ-
ſes, quaſi ex arce munita, nihil metu-
ens ꝓclames illud: atq; huic quidē rei
certiſſimā facere fidē poſſunt tua Cri
tiria nūq̄ fallētia ſigna? Cui quęſo rei?
Fortaſſis nos inqs tres deos, ꝓ vno cō
finxiſſe. Logos Deū vocaſſe & ſpiritū
ſan-

ſanctum, vtrique adiunxiſſe. Sed explica tua Critiria, & nunquam fallentia ſigna noſtri figmenti. Tria inquis ſigna, tria Critiria, ac primum dicis ęternitatis latebras, atque tenebras, in quas nos conijciamus Trinitatem, in diuinis aſſerentes, & fulgorem veritatis nō ferentes, in quibus tenebris tuti & clauſi maneamus, munitiq; contra plurima rationum momenta latitare ſoleamus, & quidem hoc primū illud è tribus tuis critirijs eſt; quod ijs effers verbis: Hi enim cum in vno & ſolo, & οὐσία & ὑπόστασει, vero Deo nō acquieſcentes, λόγον etiam verum Deum vellent facere, ſentirent autem hanc omnes habere homines Dei notitiam naturaliter mentibus inſitam & impreſſam; Deum eſſe ens primū, perfectum, immutabile, à nullo pendens, nullius indigens, per ſe ſufficiens. Deum verò genitum non poſſe eſſe, ens primum & immutabile, pendens à generante, indigens parentis, vt huiuſmodi vim & robur rationis declinarent, conſtituerunt in æternitatem, tanquam in indumenta correpere,

Primum Critirion Francken

pere, altaq; voce inde clamare, λόγον generatum fuiſſe ab æterno, in ęternitate autem nō eſſe prius, & poſterius non eſſe, qui ab alio pendeat, qui alterius indigeat. Hoc primū ex illis trib⁹ ſignis, & nunquā fallentibus Critirijs eſt, noſtri iſtius doctoris, nouiq; Chriſtianæ religiōis caſtigatoris. Cernitis ô viri pij, pandente iſto, ſui antri portas, cuſtodia qualis veſtibulo ſedeat, facies quæ lumina ſeruet, ſeueriorē intus viſuri hydram; nunc in primo iſto ingreſſu, & prima porta ſubſiſtamus, & quos hic Gnoſius noſter Radamātus, caſtigatq; auditq; dolos ſubigitque, fateri audiamus. Primum igitur fraudis, doliq; Chriſtianæ religionis prīcipiū deprehēdēdi, critiriō eſſe ait æternitatem ipſam, in quam ſe cū ſecundario Deo, quem λόγον appellant Theologi, coniecerint, fraudiſq; ſuæ ac doli eā latebram quæſierint; vt cū ſplendorē veritatis non ferrent, quaſi in tenebras ſe abdiderint, qui iſte aūt eſt dolus, quē nobis, hoc verò eſt, Romanę Eccleſię, iſte obijciat, nō obſcurū eſt Noluiſſe inquit Romanos mul-

Pandit portas impietatis ſuæ Francken.

Impudens mendacium.

titu-

titudini deorũ colendę aſſuetos,in vno Deo acquieſcere, & ꝓptereà λόγον alium Deum finxiſſe. Vult.n. iſte nõ Chriſtianus,ſed Chriſtomachus,vnũ ſolum Deum eſſe, & οὐσία & ὑπόστασει, qui vnã vt ſubſtantiam,ita &perſonã Deo tribuit, filiũ & ſpiritum ſanctũ nõ ſolum perſonis,ſed & ipſa ſubſtantia à Deo patre ſeiũgit, hoc verò eſt, vnã illam perſonã, quam patrem appellam᷑,& nomine & reipſa Deũ ſtatuit,filio & ſpiritui ſancto, nullã particulam diuinæ ſubſtantiæ concedit, vtrumq; creaturã abſq; omni diuinitatis admiſtione aſſeuerat, & nos qđ in vno & ſolo,οὐσια & ὑπόσασει deo nõ acquieſcamus,accuſat & idololatriæ reos ait,vnã Dei & ſubſtantiã, & perſonã eſſe aſſerit,acutior ſcilicet Sabellio,& præceptore eius Nocto,ſucceſſoreque vtriuſq; Priſcilliano, qui etſi vnã ſubſtantiamDei eſſe docerẽt,perſonarum tamen trium nomina non tollebãt, docebant enim vt vnũ Deũ ſubſtantia eſſe, ita in perſonis nullũ diſcrimen ſtatui, ſed eundẽ Deum iã patrẽ, iam filiũ, iam ſpiritum ſanctũ vocari, & proptereà patrem quoque

Confeßio Francken.

Sabellij hæreſis.

vt filium paſſum eſſe, cum idem eſſet pater & filius, qui nec ſubſtantia, nec perſonæ ratione differant, quorum hæreſim toties profligatam, & ignẽ ſopitum iſte excitat, vnũ & perſona & ſubſtantia Deum eſſe, è ſuo illo antro clamat, & non modò nomen filij & ſpiritus ſancti, ſed etiã patris amouet. Neq; enim ille Deum vult dici, patrem, aut filium, aut ſpiritum ſanctum, ſed ens vnum, perfectum, nulli us egens, immobile: itaque λόγος illi nomen ridendum eſſe videtur: λόγον, inquit, fecerunt Deum, Deoq́; vni & vero adiunxerunt, vt plures pro vno colerent. Et hic ille eſt primus anguis iſtius quem Tyſiphone nobis intentat, hunc primum dolũ, in nobis caſtigat, cogitq́; fateri, vnum ſolum Deum, vnum ens, & ſubſtãtia, & perſona eſſe clamat: diſtinctionem perſonarum fraudem noſtram eſſe ait, figmentum eſt iſti Radamanto, noſtrum λόγος & filius Dei, figmentum ſpiritus ſanctus, idolon horrendum Trinitas; & vide iſtius Critici acumẽ in fraude noſtra & dolo deprehẽdendo, λόγον inquit, cum vellent facere,

Francken vnũ ens Deus.

Deum verũ, ſenſerunt oẽs homines habere notionẽ naturalem Dei, mẽtibus ſuis impreſſam. Oportet (vt antè dixi) mendacẽ eſſe memorem. Cauẽdum eſt ei, q ardua pſuadere conatur qui noua dogmata parit, qui receptas opiniones ex animis hominum tollere conatur, ſententiaſq́; receptas vſu, & temporum diuturnitate firmatas, autoritate virorũ magnorum, & cõmuni omnium conſenſu roboratas, infirmare cupit, ne ipſe ſecũ dicendo pugnet, nec ſibijpſi aduerſa dicat: meminiſtíne te dixiſſe, qualis quiſq; ſit, talem ei religionẽ & doctrinam bonã videri, quod Ariſtot. authoritate, qui dicat, talẽ quemq́; ſibi finẽ probari, qualis ipſe fuerit, firmabas. Quod ſi ita eſt, qui fieri potuit, vt vlli hoĩes inuenirentur, qui à veri Dei vera religione, & cultu vero eius, vel imperio cuiuſq̃, vel dolis ad falſos & cõfictos deos abduci poſſent, veramq́; religionem, cuius notionẽ natura, mentib⁹ impreſsã circũferant, deſerãt, & falsã, & ab hominib. callidis in vmbra ęternitatis latitantib. confictã amplecterentur.

Francken in mentiendo incautus, ſeipsũ oppugnat.

rentur. Talem quemq; doctrinā probare & amplecti dicis, qualis ille fuerit, atqui homines tales eſſe vel maximè neceſſe ſit, quales natura ipſa dux eorum effingat. Vt enim ignis & cætera elementa, naturam ſuam relinquere nequeant, ita & homines naturæ ſuæ pareant neceſſe eſt, igni natura lucēdi, vrendi, & caloris vim cū impreſſerit, nunquam non lucet, nūquam non vrit, nunquam non calidus inuenitur: naturam enim exuere non facile eſt, naturam furca repellas tamen ipſa recurret, dixit quidam. Cum igitur tu omnibus hominibus, naturaliter mentibus hominum inſitā, & impreſſam Dei nōticiā dicas, quomodo cuiuſqam arte doctoris effici potuit, vt homines naturam ipſam exuerent, & quod lumen veri Dei cognoſcendi natura infuſum geſtarēt, extinguerent, cum neq; ignis, neque Solis lux, naturaliter illis impreſſa extingui poſſit. An quod in illis violari, nulla vi poteſt, in hominum genere infirmum erit, et vis illa naturæ, lumenque natiuum noſcen-

di Dei ſolos homines deſeret, & à ſe ipſa diſcedet? Equidem ſi hominibus naturaliter notitia Dei ea impreſſa ſit, vt omnes videant Deum eſſe ens primũ, perfectũ, immutabile, à nullo pendens, nullius indigens, per ſe ſufficiens, nunquam contingere poterit, vt hoc non videant; nunquã enim lumen illud naturæ eis non lucebit, & quoniam omnium hominũ mentibus, naturam impreſſiſſe eam notitiam ais: nemo hominum repe- rietur, qui tam perfectè Deum non agnoſcat, qui ente hoc tuo (quod tibi Ariſtoteles pictum dedit) relicto: ad Deos infirmos, & alterius ope indigentes deducatur: Nemo Solem, Lunam, Venerem colit, quod ea ſidera, non primum ens eſſe videat: nemo idola venerabitur, quę ipſa non niſi ope hominum ſeruari poſſunt: atqui totus mundus ad hæc infirma elementa veneranda deflexerat, qualis eſſet verus DEVS ignorans. Etſi enim nulla gens tam agreſtis, tam rudis inueniatur, quæ neſciat eſſe DEVM, tamen omnis, quis & qua-

& qualis ille ſit ignorauit: Et propterea non in cœlo modò, non inter homines modo, ſed etiam inter ratione deſtitutas animantes, inter reptilia etiam, Deos quæſierunt, ſerpentes, canes, & alia turpiora, Deos eſſe iudicarunt, ac vt numina venerati ſunt. Quid quæſo? defuítne iſtis illud tuum lumen, natura mentibus omnium hominū impreſſum, quod talem Deum illis monſtraret, quem tu pingis; ſi defuit, non igitur omnes hoc lumine naturę illuſtrati ſunt, tuumq́; illud vniuerſale enunciatum; Omnibus hominibus notionem natura impreſſam eſſe, falſum eſt: aut ſi verum maneat, quomodo fiat, vt nō omnes, quē natura ipſa duce Deum q ſit agnoſcāt, eo deſerto ad infirmos Deos currant; paucorū munus hoc erat, vt perfectā veri Dei cognitionē habere, liceat ac ne Adam' ipſe manibus Dei effictus, hanc tantā cognitionē Dei habebat: ſi enim habuiſſet, ſi ſuū mandatū deſerens ita ſæuerè puniturum ſciſſet, nunquam ab eius præcepto diſceſſiſſet: ignorauit Cain

qui eſſet Deus, cum fratris cædem celare eum vellet, cum ille omnia videret; non eſt igitur, quod tuum hoc, vt tu vis axioma omnibus hominibus noticiam Dei naturaliter impreſſam eſſe, vt cognoſcant Deum ens primum, perfectum, iactes: Non eſt quod hic nos fraudis accuſes, non ita hoc lumen in te lucet, vt tu, quis & qualis ſit Deus videas; ſi enim videres λόγον & filium Dei, & Deum verum, patri Deo conſubſtantialem crederes, trinitatem perſonarum vnũ Deum eſſe agnoſceres; mens tua nihil videt, niſi quod ſenſus illi contuendum dederit, hoc enim eſt veſtrum, nihil eſſe in intellectu, quod nõ ante in ſenſu fuerit: Atqui Deum nemo vidit, quod ſi nemo vidit, nemo etiam mente eum comprehendit, niſi cui reuelauerit filius Chriſtus Ieſus, qui in ſinu eius eſt, qui qualis ſit, quæ voluntas eius fuerit, ſolus nouit, noſque docet quem tu, quoniam filium Dei, Deumque eſſe negas, & è ſinu Dei patris abripis, doctrinam eius repudias, nullam notitiam Dei habeas

Concluditur Franckẽ Dei notitiam non habere. & falsò dixiſſe omnibus hominibus noticiam Dei impreſſã natura eſſe.

beas, neceſſe eſt; quod ita eſſe tua iſta nequitia, quæ in tuis ſcriptis expreſſa lucet demonſtrat; non cognoſcis filium, Deum igitur patrem ignoras, Spiritum ſanctum lumen veritatis extinguis, ac in tenebras illas exteriores caput tuum mergis, & equidem nos Deum patrem, quem tu eo nomine quo ipſe ſemper ſe appellari voluit expoliatum, ens appellas primũ, & perfectiſſimum, & optimum, & nullius egentem, à nullo dependentem eſſe ſcimus & confitemur. Et quidem eum ſcimus, non illa tua mente & ratione, ad quam tu Maieſtatẽ eius trahis, ſed fide quam λόγος in nobis peperit, & hoc vnum lumen cognoſcendi Dei in cordibus noſtris accendit; ſola enim fide, vt toties dixi, arcana Dei apprehenduntur; quod igitur tu ex Ariſtotelis tenebris obſcurè muſſitas de tuo ente, hoc ipſum nos in ea luce, quæ omnem hominẽ venientem in mundum illuminat, clariſſime cernimus, & fidei oculis contuemur, vera lux animi illa eſt, λόγος verbum Chriſtus IESVS filius Dei

Deus pater quomodo cognoſcitur.

Vera lux quæ ſit.

eſt, nobis aperuit, hoc eſt, CHRISTVM IESVM, qui inter nos, vt homo verſatus eſt, qui nos veritatis vias docuit, in quo nec ſpecies, nec decor fuerit, qui deſpectiſſimus omnium virorum, & viliſſimus, infirmimitati & doloribus expoſitus videretur, eum eſſe dominum & conditorem mundi, Deum verum de ſe patre Deo vero. Deus enim non niſi Deũ generare poteſt, generare aũt Deum, ipſe Deus teſtatur abſurdum eſſe, dicens; vt qui faciam alios generare ipſe ſterilis maneam, neque tum cũ generat, vllam vel mutationem vel diminutionem patitur, cum ſit ipſe perfectiſſimus & immotus; neq; illa quæ tu garris, audire volumus, generare Deum non potuiſſe; cui .n. plus credendum, tibine vaniſſimo ſophiſtæ, an veritati ipſi Deo, quem ens pfectum, optimum, immobile, tu eſſe definis? Deus eſt qui clamat, fili⁹ meus es tu, ego hodie genui te, & ne putes cum Ario, non proprio modo genitum, alibi ait, ex vtero ante Luciferum genui te: nõ ex nihilo vt Arius, *Eſa. 53.* *Eſa 49.* *Pſal. 109.*

ſed ex vtero, hoc eſt, ex ſua ſubſtantia ſiue eſſentia, filium Chriſtum Ieſum, genuiſſe ſe Deus pater teſtatur. Vterus enim Dei eſt ipſa eius eſſentia, & diuina ſubſtantia è qua filius eius genitus ad nos venit, carnem noſtram induit, & forma ſerui accepta ſemetipſum exinaniuit, peccata noſtra ſuſtulit, liuore ſuo nos ſanauit, quem cum Deus pater ob tantã humilitatem deſpici videret, Deum eſſe ſibi æqualem ſibi conſubſtantialem de cœlo clamat; Hic filius meus dilectus quem amo, quo delector, vt vnigenito meo, quem ex vtero ante luciferum genui, ipſum audite ne contempto eo, vitam quam ipſe vobis portat, perdatis morte æterna damnandi. Teſtatur igitur Deus filium ſuum Chriſtum eſſe ex vtero ſuo genitum: Teſtatur autem quod hoc ſaluti noſtræ ſcire neceſſarium fuerit, ne eo contempto, ob humilitatem, à Maieſtate eius diuina excideremus: quomodo autem genitus ſit, nihil ad nos pertinere Deus iudicat, arcanam illam ſoli ſibi, & filio & ſpiritui

Ad Phil. 2.

Matth 3.
Marc. 1.
Ioan 1.
Luca 3.

Cur Deus Pater teſtatur filiũ ex ſe genitũ, ſed quomodo genitus ſit non dicat.

ſancto notam, reſeruauit generationem. Cum igitur λόγος Dei patris filius ſit, ex vtero eius genitus, par & ſubſtātia, & æternitate Deo patri eſt. Nam quod dicit, ante Luciferum genitum eſſe, ab æterno genitum docet eſſe, cū ipſe ante omnia ſit. Quod tu igitur inſanum caput dicis, λόγον eſſe, & ſecundum & mutabilem Deū, & non eſſe ens primum: totum hoc vanum & impium eſt, cū ſit par Deo patri, ſecundum & eſſentiam, & æternitatem, & poteſtatem, & perfectionem; conferam in pauca: λόγον verbū, filium Dei genitum eſſe profitemur, non eſſe ens primum, non eſſe perfectum, mutabilem eſſe negamus, & tuam iſtam impudentiā execramur; dependet à patre quidem generante, vt à principio ſuæ ſubſtantiæ, quā cum eo communem habet, & cum quo idem & indiuiſus eſt Deus, ſed quod per ſe non ſit ſufficiens; vt tu mentiris, negamus. Par eſt Patri potentia, pater, inquit ipſe, operatur, & ego operor, vt pater in ſe habet vitā, ita & filio dedit habere in ſe vitam,

Filius à patre dependet, parq́; illi eſt.

Ioan. 5.
Ioan. 5.

Ioan. 14. Creditis in DEVM, & in me credite: Omnia mihi data ſunt in cœlo
Matth. 28. & in terra: Oĩa quæ patris ſunt, mea
Ioan. 13. Ioan. 16. ſũt. Pater & ego vnum ſum⁹; Et ſi .n.
Ioan 10. Filius & Spiritus Sanctus, non careat principio originis, ſempiternus tamen eſt, & filius & ſpiritus ſanctus, vt & ipſe pater, è quo vt principio ſuo oriũtur, & ideo nõ ſine principio quidem ſunt, quoniam ad principium & fontem referuntur, patrem ſcilicet, in quo principio æterno, quia ſemper & ab æterno ſunt, & ab eo oriuntur, filius naſcendo, ſpiritus ſanctus procedendo, neceſſario conſequitur, vtrumque ęternum & ſempiternum eſſe: principium autem hoc loco dicimus, non illud tẽporis, & rerum creatarum, ſed eſſentiæ & ſubſtantiæ, quæ nullum initium finemque habeat, à quo principio etiã omnis æternitas dependeat: ex eius enim æternitate & infinitate, & æternitatem omnem appellari non dubitamus, cum niſi ille æternus eſſet, æternitas non eſſet; cum igitur hoc principium, qui eſt Deus

Filij & ſpiritus ſancti pater principium.

pater

pater, quem tu accute vir, primum ens vocas, ſit æternus, & ſit principiũ cõmunicationis ſubſtãtiæ filij & ſpirit⁹ ſancti, filiũ & ſpiritũ ſanctũ æternos eſſe, neceſſe eſt, vna enim & eadem eorum quę patris, qui principiũ ſine principio eſt, ſubſtantia eſt; non poteſt enim contingere, vt idem & ſempiternum, & non ſempiternum ſit. Vna eſt patris, & eadem ſubſtantia, quæ filij & ſpiritus ſancti eſt, vt igitur in patris perſona æterna eſt, ita & in filij, & ſpiritus ſancti, qui cũ patre vnus Deus, in eſſentia & ſubſtantia ſunt, æterna ſit, neceſſe eſt. Dicimus igitur filium genitum, Deum, & non ſine principio, vnde genitus ſit, & ſpiritum ſanctũ, Deum à principio, & ſubſtantia Dei patris procedentem, incepiſſe tamen eos certo tempore, & non fuiſſe aliquando negamus; ſemper enim in ſuo principio, qui eſt Deus pater, ens primum tuum, & æternum ſunt, cũ quo idem ſubſtãtia & vnus Deus ſunt cũ .n. verbũ & filius Dei in Deo ſemper fuerit, deus aũt illud ſit principiũ, cuius nec initi-

initium, nec finis dari queat, quod eſt ſempiternum, equidem λόγον æter nũ abſq; initio & fine eſſe, neceſſariò concluditur. Deus enim nullum initium habuit, vt tu ipſe fateris, vt qui ſit primum ens, & principiũ primũ, quod à nullo dependeat, At λόγον in hoc principio fuiſſe, diſertiſſime Euangeliſta Ioannes docet, dicens; In principio erat verbum, hoc vero eſt in patre, qui eſt fons, principium, & origo totius diuinitatis, erat filius λόγος, & verbum patris æternum, quod verbum eſt Deus, eodem Euãgeliſta teſtante, & verbum erat Deus, vt nõ quoduis verbum intelligas, ſed illud verbum, quod eſt Deus ver⁹ de Deo vero, lumen verum de lumine vero, quod omnem hominem illuminat venientem in mundum. Et quoniam ſpiritus ſanctus, qui per os Euangeliſtæ loquebatur, prouidit, vos impoſtores fore, qui verbum hoc, quod eſt filius Dei, ad principium tẽporis torqueretis, dicturiq; fueritis in principio (id eſt) eo tempore, cum omnia Deus conderet, cum mũdus

exordi-

exordium caperet, principium pro initio mundi capientes, quid ſit in principio fuiſſe verbum, expoſuit: & veritati contra dolos veſtros, & impias interpretationes cauit, & proptereain principio fuiſſe verbum, idem eſſe, quod eſt, Deum eſſe docet, apud Deum eſſe, vt ſit ſequens, clauſula & verbum erat apud Deum, interpretatio prioris clauſulæ, in principio erat verbum, quaſi dicat, cum dico, in principio fuiſſe verbũ: intellige, nomine principij Deum ipſum patrem qui eſt principium, & diuinitatis totius, & omnium rerum; ex eo enim & ab eo ſunt omnia, & eſſe in principio, eſſe apud Deum, hoc eſt, eſſe in ipſo patre, non quouis modo, ſed eſſentia & ſubſtantia ipſa; & proinde ſubdit tertio loco, & Deus erat verbum, id eſt, verbum hoc, quod erat in principio, eſt ipſe Deus, Deo patri, principio ſuo conſubſtantialis. Concludit quarto loco, dicens; hoc erat in principio apud Deum, hoc eſt, erat in principio illo æterno, patre, quem tu primum Deum vocas; ver-

Verbum enim eſſe apud Deum, eſt in ipſo Deo eſſe, quę autem vis huius verbi fuerit, quod tu vt Deum ſecundum rides, diſertè teſtatur, dicens, omnia per ipſum facta ſunt, ſine ipſo factum nihil, quod factum eſt: quod verbum, ſi Deus non eſt, vt tu mentiris, quomodo in principio DEO patre erat, cur DEVS appellatur, quomodo per ipſum omnia facta, mundi enim fabrica opus admirandum Dei eſt, eius, quem tu ens primum appellas, à quo omnibus datũ ſuum cuique eſſe, idem magiſter tu' Ariſtoteles teſtatur: ſi igitur à Deo ente primo omnia quæ ſunt, ſubſtãtiam ſuam, & eſſe ſuum habeant, qui negari poteſt λόγος, & verbum, per quod omnia facta ſunt, in quo eſt vita; qui omnibus dat eſſe & viuere, Deum eſſe, & Deũ non ſecundum, ſed ens cum patre in ſubſtantia primum. Vnum inquis eſt ens primum, perfectum, à nullo dependens. Vnum Deum nos profitemur ens illud primum, quod ſemper fuerit, & erit, qui eſt Deus benedictus: quod

quod ens dicit, ego ſum qui ſum, & conſilium meum non eſt cũ impijs, ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac Deus Iacob; qui item clamat, audi Iſrael, dominus Deus noſter, Deus vnus eſt, ego ſum Deus tuus & præter me, nõ eſt alius, hunc Moyſes, hunc prophetę nobis monſtrarunt, vnum Deum profitemur, vnum agnoſcimus, & veneramur; eſt enim vnus in ſubſtantia, ſiue vt tu ais οὐσία. damus hoc non tuæ inſaniæ, ſed veritati ipſi: non tamen hoc ipſo trinitatem perſonarum diuinarum tollimus, quam vt & eſſe credamus, & veneramur, ipſa eadem veritas ſcripturaque ſacra nos cogit. Nam & ſaluator noſter Chriſtus Ieſus, verbum æternum Dei patris, tres perſonas in diuinitate eſſe clariſſimè teſtatur, cum nos iubet baptizari in nomine patris & filij, & ſpiritus ſancti, & cum ſe promittit, miſſurum à patre ſpiritũ veritatis, & alterum paracletũ; teſtatur idẽ & Ioannes baptiſta, ſe audiſſe Dei patris vocem, filium in lauacro Iordani ſtantem, & homines vt ei

Exod. 3

Deut 6.

Eſa. 45.

obedi-

obediant hortantem, ac dicentem, Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite, ſuper quem vidit ſpiritum ſanctũ, in ſpecie columbæ deſcendentẽ ac in eo requieſcentem, vbi trinitas perſonarum diuinarum, apertè mõſtrata, patris qui clamat de cœlo, filij in Iordane ſtantis, ſpiritus ſancti, qui à patre demiſſus, ſuper filium requieſceret: teſtatur hoc idem Ioannes Euangeliſta dicens, tres eſſe qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, verbũ, & ſpiritus ſanctus, qui tres vnũ ſunt, quod tuis Critirijs aduerſum eſt. Negas enim tria fieri vnum, cœcum tuum ſenſum ſecutus, Ioannes ille qui ſupra pectus domini recubuit, tres patrem, filium, & ſpiritum ſanctum, vnũ eſſe Deum profitetur; nihil tua Critiria reueritus; à quo ſi quæras, quomodo hi tres vnum ſunt, reſpondebit eo modo, vt Eccleſiam ipſe dũ viueret, & legatione pro Chriſto fungeretur, docuit, vnum eſſe in ſubſtantia, trinum in perſonis: nam ſicut vnam eſſentiam diuinitatis confitemur, ita tres eius hypoſtaſes profitemur.

mur. Vna eſt eſſentia trium perſonarum, tres perſonę vnius ſunt ſubſtantiæ. Si igitur tu ad ſubſtantiam Dei animum referas, vnum Deum quod facis aſſeuerabis: ſin ad perſonas, tres eſſe, quod improbè negas, cum Ioanne, qui teſtimonium in cœlo dant, vid\-ebis, patris, filij, & ſpiritus ſancti perſonas ſubſtantia coniunctas, proprietatibus ſuis diſtinctas: nam quod tu, vt vnam ſubſtantiam, ita & perſonā vnam diuinam dicis eſſe, mēdacium vetus interpolas, Sabellij, & aliorum quos ſuperiùs tibi monſtraui, hæreſim reuocas, nihil abſurdi fit, cum dicimus, & vnum Deum eſſe, & tres eſſe, non pugnant hæc inter ſe; vnum ad ſubſtantiam referimus, tres ad perſonas, quæ ſunt, vnus & idem indiuiſus Deus ſecundum eſſentiam, quæ tribus perſonis communicata, proprietatibus certis diſtinguitur, & trina eſſe dicitur: habet enim hypoſtaſis patris ſuam proprietatem, quam non communicat cum filio & ſpiritu ſancto, habet filius, habet ſpiritus ſanctus ſuam. Vt enim ſine principio

Francken veteres hæreſes interpolat.

Proprietates diuinarum perſonarum.

principium eſſe, & ingenitum eſſe, ſolius perſonæ patris propria ſunt, ingenitum quidem, quod nec genitus ſit ab alio, nec procedit ab alio, principium autem, vt genitorem, & eructatorem verbi, de quo dixit: Eructauit cor meum verbum bonum, & Spiritus ſancti qui ab eo procedit, quorũ vterq; & ex ipſo, vt è principio ſuæ ſubſtantiæ ſempiterno procedunt, & ſemper manent, atque in eo ſunt, ita non negamus, filium & ſpiritum ſanctum, habere principium, Deum ipſum patrem, qui eſt principium ſine principio, nihilo ſecius tamen ſempiternos, & nunquàm incepiſſe profitemur: dicimus igitur eos eſſe non ſine principio, quia ad principium & fontem referantur patrem ipſum: ſempiternos verò, quia à ſempiterno principio patre ſcilicet promanant; Filius per generationem, Spiritus ſanctus per proceſſionem, quæ & generatio & proceſſio eſt ſempiterna. Semper enim & ſunt cum patre, & inſunt patri ſecundum ſubſtantiam, à quo per proprietates ſibi proprias ſecernun-

tur. Nam vt patris, igenitum & ſine principio eſſe, proprium eſt, quod nec filio, nec Spiritui ſancto communicari vnquam poteſt, ita filij proprium eſt, in principio eſſe, & genitum eſſe; ille enim eſt in principio Deo patre. Vnde Ioannes dixit: In principio erat verbum, ille genitus eſt ex patre, quod Propheta teſtatur, dicens: Filius meus es tu, ante Luciferum ex vtero genui te: Proprium item ſpiritus eſt, Et in principio eſſe, & à principio procedere, quo loco, vt iam diximus, principium non temporis initium, quo incepiſſent eſſe, ſed principium & cauſam vnde oriuntur, ſuamque eſſentiam habent, deſignatur. Quemadmodum dicentes, annulum eſſe aureum, annuli illius cauſam, & materiam, aurum eſſe monſtramus, non tempus quo annulus ille factus, deſignamus. Vna igitur eſt eſſentia diuina inſeparabilis. Vnus DEVS & indiuiſus in ſubſtantia, tres perſonæ in illa vnitate Deitatis, propter proprieta-

tates diſtinctas, quæ proprietates ita cuique perſonæ inſunt, vt alteri nunquam communicari queant. Paternitas enim ſiue patrem eſſe, ſoli Deo patri, qui eſt ingenitus, & principium ſine principio proprium eſt, quod nec filio, nec ſpiritui ſancto cõmunicari poteſt: filium eſſe, genitũ eſſe, filij tantum ſunt propria, nec patri, nec ſpiritui ſancto communicãtur: procedere autem & ſpirari ſpiritui ſancto propriè dantur, propter quæ propria hypoſtaſeon trium, Trinitas veneranda dicitur, ſicut ſubſtantiæ vnitas, vnitatis cauſa eſt, vnde fit vt & Trinitas ſit in vnitate, & vnitas in Trinitate. Vnus Deus in ſubſtantia, trinus in perſonis, quarum trium perſonarum, vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas: habent enim communia multa, quæ non hypoſtaſes, vt ea quæ diſtinctionem perſonarum faciunt, ſed ipſam ſubſtantiam diuinitatis omnib⁹ perſonis cõmunem cõſequuntur, quę vel affirmãdo efferunt, vt ſunt æternũ eſſe, dominũ eſſe, omnipotentem eſſe, ſapientẽ eſſe, bonũ eſſe,

eſſe: vel negando, vt increatum, immenſum, infinitum, incomprehenſum, incircumſcriptum eſſe, quæ omnia æqualiter omnibus, vt & ſubſtantia ipſa, perſonis communia ſunt, ita vt qualis ſit pater, talis filius, talis Spiritus ſanctus, vt quoniam increatus, immenſus, æternus, omnipotens, dominus eſt pater, etiam filius & Spiritus ſanctus increatus, immenſus, ęternus Dominus. Neque enim ex ijs perſonarum diſcrimen, vt ex illis quæ hypoſtaſes ſequuntur, naſcitur, vnde illi inſaniunt, qui filium negant eſſe dominum, quod pater Deus dominus ſit, cum dominum eſſe, & patri, & filio, & Spiritui ſancto commune ſit, non vni proprium: Et quāquam perſonarum & ordo, & dignitas ſpectetur, tamen non eſt prius & poſterius, priore loco ponitur patris perſona, non quod pater prius, quam filius, & Spiritus ſanctus fuerit, ſed propter dignitatem paternitatis & principij, ſine principio, quod ſit fons & origo diuinitatis totius, hoc verò eſt diuinarum perſonarum Secundus locus

In Trinitate etſi ordo & dignitas ſpectetur, prius tamen & poſterius locum in ea non habēt.

datur filio: Tertius Spiritui ſancto, quod filius à ſolo patre, Spiritus ſanctus à patre & filio procedat: Quod quamuis ita ſit, nihil tamen eſt hic prius, nihil poſterius, omnes perſonę pares & æquales diuinitate & potentia, qualis pater, talis filius, talis Spiritus ſanctus, nihil in hac Trinitate eſt prius, nihil poſterius, nihil maius aut minus, ſed totæ tres perſonæ ſunt ſibi coæternæ & coæquales, vt canit ſacroſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, quæ vnitatem in Trinitate, Trinitatem in vnitate venerari nos præcipit. Atque hæc ſunt quæ ex principijs religionis Chriſtianæ & diſciplinæ ſiue ſcientiæ fidelium, ad concludendum, Trinitatem Deum vnũ, & æternum eſſe attulimus, quæ noſter Anthagoniſta Francken, vt video ridet, qui ad Ariſtotelis principia ſpectet, hæc noſtra fidei Chriſti munimenta & præſidia faſtidiat, vt quæ rationi ſuæ, & illi notioni Dei, quam natura menti ſuæ impreſſam circumferat, non reſpondeant, ſiquidem

Francken teſtimonia ſcripturarum nõ recipit, ad philoſophos prouocat.

dem hæc quæ de Trinitatis myſterijs dicuntur, rationem ſuam excedunt, quæ nec Ariſtoteles, nec Plato, capere potuerũt, nec oratores ſuo illo flumine orationis explicare vnquam valuerunt; abſcondita enim ſunt hęc ſapientibus, qualis eſt Antichriſtianus iſte, & reuelata paruulis; qui non *Matth.11.* ſapientiam mundi, vẽtos rationum, ſed fidem Chriſti Ieſu, ad hæc arcana afferunt, quæ fides in luce illa, quæ mundum illuminat, lucet, & ea quæ ſapientia illa mundi cum intueri vellet, oculos amiſit, conſtantiſſime cõtemplatur, ac in obtutu eorum firmiter hæret. Sed noſter Francken nouus, noui Dei conditor, hæc non fert, latebram cogitat, & quò ſe vertat, aſpectat: λόγον, in quem impetum fecit, quod oculos ſuos ſua luce fodiat, miſſo, ad diſputationem de æternitate ſuum ſermonem transfert, mirum memor illius ſophiſtarum, cuius Ariſtoteles in Reprehenſionibus Sophiſticis meminit; admonetque, & fraudem Sophi-

Francken ad fraudes ſophiſticas ſermonē vertit, vt planum.

ſtarum aperuit, dicens, eos ab ea materia, quæ in diſquiſitionem deducatur, vel quod illis ieiunior eſſe videatur, vel quod nouam faciem, ſibiq́ue ignotam eius, & nihil grati, nihil ad victoriam ſubſidij promittentem videant, aduerſarium ab ea abducant, & eò trahant, vbi copias ſuas numeroſiores eſſe videant, & quaſi ex anguſtijs & faucibus locorum in campum patentem aduerſarium prouocent atque educant, vt eum ſuis præſidijs deſtitutum faciliùs vincant in eo, quē ſæpè frequentant, loco conſiſtentes: & cum lis de tribus capellis inſtituta fuerit, Annibalem bellaq́ue Punica, Scipiones duros bello, Auguſtos Cæſares, Pompeios intonent, ac ita furtum capellarum perſequētem eludant: Cum igitur, inquit iſte Doctor, vellent ſecundum Deum fingere, quem λόγον appellant, ne figmentum eorum luce illa, quam natura hominibus infudit, deprehenderetur, in æternitatem Dei, tanquam in dumeta irruperunt, atque clamare cœperunt, λόγον generatum fuiſſe ab

æter-

æterno, in ęternitate autem nihil eſſe prius, nihil poſterius, non eſſe qui ab alio pendeat, qui alterius indigeat, vbi cum iſte nouus Cotta, nouæque non Academiæ, quæ nihil certò affirmet, ſed nouæ impietatis, quæ nihil credat, Deum blaſphemet, omnia mentiatur author, videret auditorē ſuam iſtam impoſturam, & velificationem contueri, & æternitatis vim & naturam mirari, quid ſit ęternitas, dicere incipit, ſcholaſticos reprehendit, abuſum eorum in æternitate explicanda, & λόγον verbo Dei æterno applicanda damnat, longaq́; oratione eorum argumenta refert, & à Proclo homine prophano ex Peripateticorū principijs, hoc verò eſt, delirijs, de æternitate mundi differente, præſidia aduocat, quarū oſtētatione auditorē diutiùs detinens, ab eo ꝙ propoſuit, quod ſe effecturum iactāter promiſit, cogitando abduxit, atque cum in campo illo noſtro lucis pleno cōſiſtere ſe non poſſe cerneret, in dumeta ſpinarum iſtarum irrepſit, incautorum oculis, ne ſuam fraudem agno- *Fraus Francken.*
 ſcant,

ſcant, faſcinatis. Quid enim hoc ad rẽ noſtram fuerit inſulſiſſime nugator, de verbo Dei æterno diſputatione inſtituta, totam orationem, in referendis de æternitate argumentis conſumere, Proclos, & alios ſophiſtas de mundi æternitate garrientes, referre, & in alienam, quod dicitur, meſſem falcem mittere, & præter caſam, vt in prouerbio eſt, fugere: Trinitatis & vnitatis perſonarum diuinarum probandæ, materia & argumenta, à ſuis principijs, hoc eſt ſacra ſcriptura, & diuinis teſtimonijs petenda ſunt, non à Proclo, Chriſtianæ diſciplinę inimico detorquenda, quem quomodo Philoponus acceperit, quam acutè eius technas diſſoluerit, non ignoras: Dicimus nos verbum Dei manere in æternum, ſcriptura diuinitùs inſpirata, id nobis teſtante, dicimus verbum in principio fuiſſe, Deum verũ eſſe, Deum autem æternum, quod & tu non negas: quo conceſſo, quid opus erat te, Theologorum de æternitate argumenta proferre, Proclumque

Francken nugator.

que aduerſus religionis noſtræ principium illud: Mundum incepiſſe, à Deo conditum eſſe, creatumque ex nihilo,diſputantem,& contraria axiomata Peripateticorum opponentem,ex nihilo nihil eſſe ſi mundus incipit,fore,vt deſinat, omnia orta occidere,& aucta ſeneſcere, contendentem,quæ fides noſtra, vt inania veritatis ridet, quæ ſcriptura ſacra refellit quę mundum ex nihilo à Deo creatum eſſe,& quomodo, & quo ordine creatus ſit, diſertè narrat, in ſua ſchola quærere,& nugantem ſeriò interpellare. Procli regnum eſt in Lyceo, apud nos peregrinus & vagus nugatorque eſt. Sed æternitatis Proclianæ latebras iſtas ingrediamur, & quam callidus in ea examinanda fueris,inſpiciamus.Et primum quidem definitionem æternitatis, qua Theologos vti ais,vt lucernam à Boetio petis, vt eius lumine in tenebras noſtras illato,λόγον Deum confictum eſſe demonſtres, oculiſque hominum fraudem Theologorum ſubijcias, & ais: Hac ergo definitiōe vt clariſſimo præla-

Mundi initiū contra quem philoſophi nugantur.

prælato lumine ingrediamur in tenebras, & inquiramus, an Deus genitus eſſe poſſit æternus, ac proinde ens primum à nullo pendens, nullius indigens, & cætera, quæ tu te vidiſſe in Peripato tuo ſerio triumphas & ad normam eorum Chriſtum metiris, & vt alter Buſyrides lectulo tuo membra hoſpitis hujus aptas, breuiora extendens, longiora reſecans, vt Chriſtus non qui natura ſua eſt, deinceps ſit, ſed quem tu, in tuæ impietatis officina effingas & dedoles. Licet enim tibi, vt tua eſt illa acuta mens & ratio, cui omnia arcana diuinitatis ſubijcis, nouos effingere Deos, pro Deo Patre ens primum fingere, nomina perſonarum abijcere, filium eius in crucem tuam nouam tollere, diuinitatem eius, quæ lectos rationis tuę excedat, ſecuri tuæ inſaniæ amputare, Spiritum ſanctum ad diuinitatis naturam ne aſpirare quidem, facere. Sed profer lectum tuum, in quo Chriſtũ λόγον genitum Deum diſtorqueas, & ſecundum normam ſenſus tui concidas: Lumen inquis eſt, quo fraudes

Iactantia inanis Francken

Figmenta Francken.

Theo-

Theologorum deprehendimus, definitio æternitatis, qua à Boetio petita, illi ipſi Theologi ſcholaſtici vtuntur, quæ ait æternitatem eſſe interminabilem, vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſſionem: hoc tuum lumẽ eſt, quod in noſtras tenebras infers, quod vt eluceat addis Ethymon eius & cur interminabilis, & æterna dicatur, explicas, & interminabile æternumque ais dici, quod terminis careat, & quaſi extra terminos exiſtens, vt ſcilicet verbo Domini, quo cœli firmati ſunt, & quod terminis ſuis certis & immotis omnia circumſcripſit; & terminum eis, quem non prætereant, poſuit: intra terminos tuæ ſtultitiæ, redacto diuinitatis & mediationis officio depræderis, ſed pone lectum noue Buſiris, Chriſtiq; membra illi coapta, vera inquis, æternitas, cum antè & poſt ſit interminabilis, neceſſe eſt eius fundamẽtum, & quaſi radicem perfectam, abſolutam immutabilem eſſe. Hic ille eſt tuus Buſiridianus lectus, qui ne tibi facilè ſubuertatur, neue titubet, fulcra ei ad-

Definitio æternitatis.

Pſalm 32.

Franckencar nifex Chriſti.

mo-

moues: Quod enim (inquis) aliquid
eſt immutabile, propterea nec poteſt
incipere, nec deſinere eſſe, quidquid
enim incipit eſſe, mutatur de non eſ-
ſe ad eſſe, quicquid item deſinet eſſe,
id mutatur ex eſſe ad non eſſe. Firma
equidem fulcra adhibes, non illa cer-
tè illignia in quibus cauillatur, ſed A-
damantina, quæ nec ferrum admit-
tant, licet igitur pro tua inſana rabie
λόγον filium Dei lecto tam roborato
impoſitũ torqueas, diſtendas, contra-
has, dedoles, nihil commouebitur, fir-
mus & immotus manet, ſed iam im-
ponatur hic Deus genitus, lecto iſti
tuo ei aptetur. Atqui Deus, inquis, ge-
nitus neceſſariò cœpit, & nequaquã
ęternus atq; immutabilis dici poteſt,
atqui hæc aſſumptio tua falſa & vana
eſt, quis enim tibi dederit, vnquã deũ
Falſa aſſumis genitũ, filium Dei verbũ eius, quod
Francken. manet in æternum, incepiſſe eſſe, &
Eſai. 40.
Pſal. 106. ex non eſſe mutatũ in eſſe, genitum
quidem profitemur eſſe, ſed naſcẽdo
incepiſſe eſſe, quod antè non fuerit,
Ratio diſſol- pernegamus, & te falſum aſſumpſiſſe
gu- dicimus. Nouiſti aũt quomodo argu-
men-

menta & examinanda & diſſoluenda fuerint, in quibus vel forma ſpecte-tur, etſi aliquod vitium in ea deprehē datur, conſequentiæ negatione totā illam rationem euerti, ſin vitiū in re ipſa & materia lateat, tum ſi falſa ſumātur, quod tu facis, inficiando euertantur, aut ſi ambiguè dicta ſint, diſtiguātur. Cū igitur tu falſum aſſumas, & lectū illum tuum marmoreo mendacio fulcias, tuū totum lectum, totumq; hoc tuum argumentum, & vanum & mendax repudiamus, teq; hominem improbum, & ſophiſtā illum nequiſſimum pronunciamus eſſe, genitus quidē filius eſt è patre ſuo principio, quod principium eſt, ſine principio, vt modò diximus, ſed illa generatio ęterna & ineffabilis eſt, ſoliq; patri, filio & ſpiritui sācto nota, à noſtris oculis & ratione noſtra prorſus remota, quam Iſaias enarrari à nemine poſſe, ſpiritu ſancto plenus exclamauit, neq; enim filius Dei hoc eodē modo quo res createnaſcuntur, genitus à patre eſt, nos qui nō fuimus, naſcēdo ſimus, oīa enim creata ex nō Eſai.53.
eſſe

eſſe,ad eſſe naſcendo veniunt, filius Dei quoniam ex eo quod ſemper eſt, ſemperq; immotum promanet,principio naſcitur, ſemper eſt, immobiliſque manet: diximus enim Deum patrem æternum eſſe principium, è quo principio æterno, æternus filius promanat. Neque enim credibile eſt filium qui patri æterno conſubſtantialis eſt,non eſſe æternum;niſi patrē Deum etiam non ęternum eſſe dicas. Nos qui ex nihilo producti ſumus,ex eo quod non fuimus, naſcimur, filius Dei conditor, & noſtri & omnium eorum,ex eo quod ſemper eſt naſcitur. Et propterea ſemper eſt patri æqualis & conſubſtantialis, ſi pater æternus ſit, & filiū æternum neceſſe eſt,ſimilē.n. ſibi genuit. Quod igitur tu concludere conaris,λόγον Deum genitum incœpiſſe, & propterea æternum non eſſe,nec illi æternitatis definitionem à Boetio traditam conuenire,totum vt falſum reijcimus,Chriſtumque filium Dei vnigenitum legibus naturæ non ſubijcimus, eique definitionem æternitatis tuę prorſus &
pro-

propriè conuenire aſſeueramus. Eſt enim λόγος verbum Dei æternum, interminabile, tota ſimul & perfecta vitæ poſſeſſio, ipſe enim filius Dei eſt vita, vt ipſe de ſe teſtatur, dicens: Ego ſum vita, via & veritas, in ipſo vita erat, inquit Ioannes, quæ vita eſt lux hominū, orta ex vita æterna, Deo patre, in quo filius eſt, vt & ipſe viciſſim in filio: Pater, inquit, in me eſt, & ego in patre, qui videt me, videt & patrē meum: Ego & pater vnum ſumus. Etenim ſi filius in patre æterno, & interminabili eſt; & filius æternus & interminabilis ſit, neceſſe eſt, infinitus Deus pater eſt, igitur in infinito eſt filio: Pater, inquit, in me eſt, & ego in patre. Si pater infinitus & interminabilis eſt, etiam filius infinitus & interminabilis, & æternus eſt, qui filius, ſi eſſet finitus & terminatus, nō caperet patrem infinitum: Finiti enim ad infinitū, vt tui dij Philoſophi loquuntur, nulla eſſe poteſt proportio, atque filium eſſe in patre, & patrem in filio, ipſa veritas teſtatur, & qui vnum videat, alterum quoque

Ioan. 14. *Ioan. 1.* *Ioan. 14.* *Ioan. 10.* *Ioan. 14.*

que videre dicitur: quamobrẽ oportet alterum alteri reſpondere, & patrem & vita, & ſubſtantia, & æternitate eſſe, propterea tuam ratiocinationem illam, qua λόγον incepiſſe, infinitum non eſſe, vitam perfectam in eũ non cadere, conaris cõcludere, vt inanem, vt iam dixi, & falſam reijcimus, ac totum quod ſtruxeris, inficiando euertimus, cum λόγος eiuſdem ſubſtãtiæ cum Deo patre fuerit, quem tu infinitum, immobilem, æternum: ens primum, nullius egens, à nullo depẽdens vocas. Neque enim poteſt eſſe, vt ſubſtãtia diuina, quæ perſonarum communis eſt, in vna perſona ſit æterna & interminata, in altera verò terminata, & mobilis; alioquin pugnantia, & quę ſimul conſiſtere nequeunt, ſimul eſſe vera, concedi oporteret, quod Philoſophi tui pernegant, iam illud quàm ridiculum, quàm impium, & inſani hominis ſit, non dico, & res ipſa docet, & tua ipſius verba, te omnem ſenſum amiſiſſe teſtantur, Deum generantem, genito filio, generare, neceſſariò deſijſſe, & propterea

Francken ineptia.

tereà cõmutatum, qui immotus permaneret, quod tibi abſurdum videtur. Ego verò dico, & ipſam veritatẽ tuo mendacio oppono, Deũ patrem & genuiſſe λόγον verbum ſuum æternum, & filium vnigenitum, & ſemper generare, genuiſſe ſiquidem ſe filium per os prophetarum teſtatur, dicens: Filius meus es tu, ego hodie genui te, & ex vtero ante Luciferum genui te: genuit Deus pater filium ex vtero ſuo, & genuit ante luciferum, & ante ſecula, & ſemper eum generat, ſteriliſque eſſe, qui alijs generãdi vim *Iſai.66.* infundit, non vult, genui, & genero, ſicut fui, ſum & ero, idem ſunt in diuinitate, temporibus non diſtinguuntur, temporum enim diſcrimina in illa ęternitate locũ non habẽt, diuinitati. n. propria eſt totius vitæ perfecta ſimul poſſeſſio, quidqd eſt, totũ ſimul, & ſemp eſt generare, & genuiſſe nõ diſtinguũtur, nec deſinũt in diuinis, & genuit igitur Deus pater filiũ. & ſemp eũ generat. Nec ꝓptereà ſeqtur, vel patrẽ mutari, vel filij riginẽ tẽpori ſubijci, & incepiſſe eum eſſe, qui nõ eſſet.

Semper enim eſt, ſemper erit, natus eſt,& naſcitur ſemper.Nam ſi igni datur hoc, vt lumen eius quod accenſa lucerna ſtatim genitum, totam domum impleat,ſemper tamen illud lumen generet, quod ab eo diffundatur;multò magis Deo hæc vis & poteſtas conuenit,vt lumen quod illuminat omnem hominem genitum,ex vtero ſuo ſemper generet, & Sol,cui Chriſtus à Propheta comparatur,genuit & generat ſemper.Neque neceſſe habet,vt ſemel genitam lucem generare deſinat.ſed tu hæc,quæ adfero exempla,reijcis, de quibus inferiùs tibi reſpondebitur.Concludo, totum illud tuum, Deum generantem genito filio generare neceſſariò deſijſſe,& immutatum eſſe,diminutionem ſubſtantiæ ſuę paſſum eſſe,vanum,mendax,impium,& meram ſtultitiam,& inſani hominis voces eſſe. Præterea nugatoria etiam illa: infinitum moueri non poſſe, Deum generãdo moueri oportere,& id genus alia inepta. Maneant hæc integra tibi,vtere tua iſta tam acuta ſtultitia, quæ omnem

Argumenta Francken nugatoria reijciuntur.

tuum

tuum occupauit ſenſum:ſatis dictum fuerit, axioma illud. Quod generatur æternum non eſſe, locum habere in rebus creatis, & naturæ legibus ſubiectis, in ijs autem quæ naturam ſuperant, quibus natura paret, locum illi nullum dari, Deus ipſe naturam finxit, DEVS ei imperat, qui etſi in rebus creatis aliquid ſui relucere voluit, non tamen paria ſibi & ſimilia in omnibus eſſe voluit, aliam rationem generandi, homini infudit, aliam ſibi retinuit. Nam vt homo, etſi ad imaginem Dei conditus ſit, Deus tamen non eſt ita etſi generandi vim à Deo infuſã ſibi habeat, nõ eſt tamen in eo par Deo, vt ipſe eſt caducus, ita & generatio eius caduca eſt, quæ in diuinis quod æterna & ineffabilia ſint, æterna & ineffabilis eſt, nec patitur ſe tuis ſophiſmatis, ex infiniti ratione deductis ligari, ſimul Deus pater generans filium, cum genito filio eſt, nihil ibi prius, nihil poſterius eſt, totæ tres perſonæ ſunt ſibi coæquales, ſimul ſunt, hoc immotum, hoc æternum eſt axioma, quod neque tua va-

Diſcrimẽ Dei & creaturæ.

ſra ſophiſmata, nec vllius mendacia, nec ipſorum inferorũ portæ infirmare vnquam poterint, garrias tu quantum velis, & in omnes partes mentis tuæ peruerſam aciem voluas, nihil efficies, tres pſonæ, pater, filius, ſpiritus ſanctꝰ, Deus vnus eſt in ſubſtàtia ſempiterna, immota, & communi, vt ſit & vnus in ſubſtantia, & trinus in perſonis, quas tres perſonas, cũ in ſubſtãtia, idẽ & vnus Deus ſint, proprietatibus ſuis eas diſtingui demonſtrauimus. Sed audiamus, quid deinceps de ſua iſta ęternitate nugetur Francken, libẽter enim in hoc campo verſatur, & vt ſuũ hîc ingenium oſtentet, iã in hanc, iam in aliam partem excurrit, ſemper tamen ad illa præſidia ſe recipit, Quod generetur, progredi à non eſſe ad eſſe, cui originem, initiumq́; temporis, quo incipiat eſſe & mutationem, prius item & poſterius, comites eſſe contendit, hoc ille firmamentum ſuæ quam tuendam ſuſcepit cauſæ vult eſſe, hîc omnem & ſuã, & Theologorum deducit diſputationem. Itaq; cum Theologi æternitate, naturam diuinitatis euerti nõn poſſe dice

Francken in eodem cœno ſemper hæret

rent, neq; effici vt pater æternus non fuerit, filius æternus non fuerit, vt itē generatio æterna non ſit, & verbi, quod eſt filius Dei, fuiſſe tempus, quādo λόγον non fuerit negarent. Fingit enim verba & argumenta illorum, quibus quaſi ex ore eorum exceptis, ſtatim, inqt audio: ſed illud viciſſim audiatur, in æternitate non poſſe eſſe generans & generatum, niſi in eodem ſit prius & poſterius, quod ſuum axioma irriſione potiùs, quam fide dignum confirmat, ex loco communi generationis, quæ habeat fontem & originem, & principium cauſamq́; ſui eſſe, quem quidem locum cōmunem nos agnoſcimus, ac in eo pedem firmamus, profitemurq́ue, vt iam diximus, generationem λόγον, & filij Dei æternum habere principium & fontem, originemq́; ipſum Deum patrem, qui eſt principiū abſq; princi pio, qui eſt principiū & fons totius diuinitatis. Deus enī pater eſt principiū filij ſui, & ſpiritus ſancti, q ex ſubſtantia eius promanāt, quorumq́; eſsētia eſt Dei patris eſſentia, ꝙ Francken nō

admittit, qui generationis diuinæ & æternæ vim vel ignorat, vel non cogitat, vt qui in ſolo ſenſu defixus hæreat, hæc ſola caduca & infirma elemēta ſpectet, Dei maieſtatem infirmitate, imò ſtultitia ſuæ rationis metitur, ac creatoris generationem vermium generationi parem eſſe putat, dum vermes vir a[illegible]ute, naſcuntur, ex non eſſe ad eſſe progrediuntur, & quod ante non erant, eſſe incipiunt, dariq́; tempus neceſſe ſit, quo eſſe cęperint, quo non fuerint. Tuū hoc prius & poſterius, quæ tēpori annexa ſunt, locū habet, in generatione corporea & caduca; in ęterna illa & diuina alia ratio eſt. Aeternus Deus pater, ęternum generat filium, generatione æterna & ineffabili, quam qui, vt toties dixi, enarrare queat, nemo eſt, quę cum ita ſit, qua impudētia tu audeas in eā inquirere? Quibus quæſo oculis, prius & poſterius in ea vidiſti, quomodo in illud lumen, in quod ne angeli quidem proſpicere audeant, cœcitatem oculorum tuorum intuliſti? & generationem diuinam, vermium generationi

Argumenta] Francken ad ſenſum ſpectant.

Diſtinguitur generatio æterna à caduca.

tioni exæquaſti, eſt magnum diſcrimen horum, quæ tu caduca ſpectas, ab illa maieſtate diuina, quæ hic ſunt mutationi & interitui obnoxia, illa mutationem nullam, interitum nullum admittunt, hæc temporibus aguntur, oriuntur, occidunt, augentur, ſeneſcunt, & ætatis curſu conſumuntur: illa nihil horum habent, & quoniam tu Chriſti generationem & naturam ſimilem tuæ eſſe ais? cur quæſo tu, vt ille fecit, maria non calcas? cur ventis & tempeſtatibus fluctuum non imperas, cur paucis panibus tot millia, quod ille pauit, nō paſcis? cur foribus clauſis alienas ædes nō ingrederis? quod ſi faceres, quàm diues tu eſſes, quos tu theſauros multorum compilares. Non eſt tibi data hæc poteſtas, pulſas fores diuitū, quæ niſi aperiantur, nihil inde aufers: diſſimilis igitur ratio eſt creaturarum & creantium, diſſimilis generatio, non eſt ibi temporis prius & poſterius; totum quicquid ibi eſt, nunc eſt, incipere eſſe, non eſſe, mutari, comites ſunt rerum creatarum, non creatoris, quē

æternitas & immutabilitas conſequuntur: Omne quidem quod generatur, habet fontem; ſed vt ea quæ tu ſubdis, diuinam generationem conſequantur, nihil eſt, fruſtra nugaris, ſi eſſet æternum, cuius quaſi menſuram eſſe ęternitatem, & ſimul tamen cum illo eſſe ortam, vt æterna ſit, & ortum habeat, abſurdum dicis. Nos verò ipſam generationem æternam cum ipſo eſſe λόγον incepiſſe dicimus, quæ origo æterna eſt, ab æterno principio exorta, quæ vnà cum λόγον in æterno principio eſt, quod eſt vitæ, tota & perfecta poſſeſſio, interminabilis, & ſempiterna. Nec dubito concludere ortam illam æternitatem, ſed ortam ex æterno principio, cum quo λόγος idem ſubſtantia, & idem principium eſt, perſona diſtinctus: cum igitur verbum Domini ſit æternum, & è principio æterno ſubſtantiam ſuam deducat, & æternitas iſta tua, in qua te nimium iactas, & quam vnà cũ eſſe verbi incepiſſe ais, æterna eſt, neque tuis argumentationibus quãtumuis ſubtilibus paret, nec prius, nec

nec poſterius tuum admittit, nugeris igitur, vel ad rauim, æternitas, quã ais, menſuram eſſe λόγον æterna eſt, finemq́; nunquam tuo mandato habitura; transfer tua iſta argumenta, ad generationem rerum conditarum, ibi quicquid genitum eſt, æternũ non erit, at in cælis, in diuina generatione locus tuæ diſſertationi nullus relinqtur. Neq; illa metuimus, quæ ad victoriam tuam, vt certiſſima frequentas arma, ſi λόγος ſemper generetur, nõ habere inter ea locum, quæ maneãt, ſed ad ea referri, quorũ ſubſtantia fluxa, vt & in ſucceſſione continuata pmaneant, hoc enim tuum figmẽtum, & merum mendacium eſt, quæ in ſucceſſione ſuam ſubſtantiam firmant, ex eo genere ſunt, quæ accidentia dicuntur, non quæ ſua vi ſubſiſtunt, λόγος æterna ſubſtantia eſt, & vita illa perfecta, quæ tota ſimul & in ſe eſt: quod cum ita ſit, non ineptè modò, ſed etiam ſtultè ais, dum generationem diuinam, quæ æterna eſt, quæ à ſenſibus noſtris deprehendi non poſſit, quæ ab oculis ſapientiæ

Argumenta Francken de æternitatis ratione vbi locum habeant

tiæ huius mundi remota eſt, & abſcõdita, quæ paruulis ſolis, hoc eſt, in Chriſtum Ieſum credentibus, & fide armatis, reuelata, cum generatione rerum creatarum confers, & eodem modo, quo vermes naſcantur, filium Dei æternũ natũ eſſe iudicas: Et illud dictum, & illam pręclaram ſententiã confirmas, nil difficilius eſſe, quàm à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere, quã difficultatem, nõ ſolum vulgò imperitos, ſed etiam philoſophos nonnullos, è quorum numero te vnum eſſe hoc loco demonſtras, vt non niſi figuris hominum cõſtitutis, nihil poſſent de diuina natura cogitare: nil tu cogitas, niſi quod ſenſus tibi indicat, abduc aciem mentis à ſenſu, ſi vis diuinam generationem comprehendere, quod quia tibi difficile eſt, mens tua in ſtercore vermium hæret, lucem inacceſſam Trinitatis aſpicere non audet: Eſt ſanè illa generatio recondita, & cuius rationem, neque ille qui raptus dicitur in tertium vſq; cœlum, homo capere potuit, qui conſiliorum ac ſapientiæ

Dei altitudinem admiratus, clamat: O profunditatem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quis cognouit ſenſum Domini, quis in conſilium eius venit, quis quęſo generationi eius interfuit, quis illum progreſſum, ex nō eſſe ad eſſe filij eius conſpexit, niſi tu vnus reperiaris Prometheus, qui ingreſſus in arcana illa Dei, conſilia omnia perluſtraueris, diuitiarum & ſapientiæ eius altitudinem perſpexeris, ac theſauros diuinæ ſapientiæ compilaueris, & ſolius ingenij tui igni diuino faculam admoueris, qui in te relucens, Trinitatem tremendam idolon horrendum eſſe tibi demonſtret, & figmenta noſtra exurat, veritatemq; idololatrarum inuentis enecatam animet, & ad vitam reuocet. Equidem neque rerum creatarum, quarum & ortum, & interitum aſſiduè contemplamur rationes, mens noſtra capere poteſt. Tu verò tuis ſenſibus, diuina illa, ab omni noſtro ſenſu amota, & rationem noſtram ſuo ſplendore obruentia, ad tuos ſenſus euocas, iudicium in ea inſtituis, & vermium genera-

ratio-

rationem, argumentum generationis filij Dei eſſe vis, & ea amuſſi λόγον metiris, audi quæſo λόγον ipſum cū Nicodemo de generatione, non illa filij Dei, ſed de hac, qua regeneramur in ſpiritu & aqua differentem: Niſi, inquit, quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei, quęrit Nicodemus quę ratio ſit illa iterum naſcendi, per quam homo in regni Dei cognitionem deducatur; abſurdum illi videtur, ſenem hominem naſci denuò poſſe, nō cogitat enim aliam rationem naſcendi, præter hanc, quam ſenſu cerneret, & proinde ait, nunquid poteſt homo in ventrem matris ſuæ iterum introire, & naſci; nihil cogitat Nicodemus tuus, animalis homo, præter ea quæ ſub ſenſum cadunt, quæ ſpiritus ſunt ignorat, de generatione ſpirituali, quæ à ſenſu tuo etiam aliena eſt, nihil audiuit: Animalis enim homo quæ ſpiritus ſunt, nō capit, ad ea tantum quæ videt, fertur, quem cum Chriſtus rudem magiſtrū in Iſrael eſſe cerneret, de quo genere generationis dicat, explicat, & quod in

in genere dixit, ad ſpeciem deducit, niſi inquiens, quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt videre regnum Dei, aliam inquit, quàm tu putas generatiōem tibi indico, naſci te oportet denuò, non ex vtero matris tuæ, quod ingredi non poteris, ſed ex aqua & ſpiritu, vt aqua corpꝰ, animã ſpiritu ſancto mũdes, & abluas, q̃ generatio baptiſmus appellatur: vterus matris tuæ, tuum corpus peccato ob noxium genuit, hæc quam oſtendo generatio, animum tuum regenerabit, & à ſorde peccati, quo infectus natus es, emundabit, nouumq́ue hominem te reddet, & eam imaginem ad quam primus homo creatus & effictus erat, quamq́ue præuaricando præceptum Dei, cæno peccati oblite rarat, tibi reſtituet, innocentem & iuſtum te in conſpectu Dei conſtituet, peccati enĩ ablutio eſt hæc, de qua loquitur Chriſtus, generatio q̃ reformationem & iuſtificationem hoĩs appellamus: q̃ cũ audiret Nicodemus, nihil q; tale intelligeret, & in vulua matris hęreret; quomodò inq̃t hęc fieri poſſunt? vi-

Fraus regenerationis.

Regeneratio quid ſit.

videntur quæ dicis abſurda, & ſenſibus rationiq; humanæ non conſentanea, cui Chriſtus & ignorantiam exprobrat; & ad credendum ſuis verbis hortatur; nimirum, quod hæc diuina generatio non niſi fidei oculis apprehendatur. Ex ijs enim eſt, quæ Eſaias intelligi poſſe negauit, ab ijs qui non crederent, nec mirum eſſe Chriſtus ait: Nicodemum ea quę ſpiritus ſunt, non capere, cum & ea quæ ſenſus pulſant, quæ terrena ſunt, ignoret: Cuius rei exemplum ventum ſpirãtem, qui vnde veniat, vbi & quo modo naſcatur, quò tendat, vbi eſſe deſinat, homines etiam Philoſophis dediti ignaros eſſe vult. Da enim vir acute, venti flantis originem, da locũ in quo cõſiſtat, explica nobis eius generandi modum, dices quidem Ariſtotelem id docere, qui exſpirationẽ arentem ventum vocat, ſed perinde Ariſtoteles vim venti vidit, atque Nicodemus, etſi fingat pro ſuo ſenſu, quod illi veriſimilius eſſe videatur, cùm natura ventorum reconditior ſit, quam vt humano ſenſu cõprehendatur.

Venti naturã ignorari.

datur. Vnde fit, vt Philoſophi & in ventorum & in aliarum rerum naturæ origine & vi diſſentiant, & alia dicant, Propheta certe clamat, ventos DEum de ſuis theſauris depromere, *Pſal. 134.* qui theſauri Dei quàm ſint profundi, quã inſcrutabiles, Paulus clamat, nec eorum altitudinem capi poſſe teſtatur. Cum igitur naturæ res oculis noſtris aſſidue obuerſãtes noſtro ingenio non capiantur, qui fieri potuit, vt generatio Dei quę ſit, quique eius modus fuerit, ſciri poſſit: ſcimus genitum filium à Deo patre: teſtantur ſcripturæ genitum eſſe filiũ Dei, quomodo genitus ſit neſcimus: fatemur tamen æternam illam generationem eſſe, quæ à principio æterno promanet: ego inquit, hodie genui te, & genitum teſtatur, & genitũ non è quouis, nec ex nihilo, ſed de ſuo vtero. ex vtero inquiẽs genui te: Si pater æternus, & filius æternus: ſi pater Deus, & filius Deus: Deus ſiquidem non niſi Deum generat, vt homo hominem, qui homo generans, quia ratione prędiṫus eſt, eiuſdem

rationis participē procreat hominē, procreat mortalis homo mortalem hominem. procreat æternus Deus æternum Deum, ſed tu generationem diuinā negas, ſolumq; Deum patrē, quem ens primū pro patre nominari vis, aſſeris eſſe, & eos q te rationem diuinæ generationis ſimilitudine à rebus creatis ſumpta doceāt, rides, ais enim, ſed hic verſipelles elabi conātur, per ſubtiliſſimam, quā ſplendente admodum Sole reperiunt rimā, aiunt. n. Solem cauſam eſſe lucis, & ſimul tempore fuiſſe cū luce: quamobrem ſi Sol ætern' eſſet, lucē quoq; ei coęternam eſſe fluentē & dependētem ab ipſo: hæc equidem Francken noſtra ſunt, quæ nobis Solis lux, quæ te excœcauit, mōſtrat, è rebus creatis, in creatoris cognitionem venim' quod & tuos Philoſophos Paul' non conſecutos fuiſſe, ad Romanos ſcribens teſtatur, qui cum multum in rerum natura cognoſcenda occuparentur, ipſum creatorem, qui & qualis eſſet viderunt: multa enim in rebus creatis veſtigia impreſſa

Impudens ſermo.

Solis lucem furitas Francken.

crea-

creatoris inueniebant, ad imaginem & ſimilitudinem ipſius conditoris rerum homo effictus erat, impreſſa & alijs rebus imago diuina, cuius ſapientiæ argumenta in eis reluceant, effecta ipſa cauſarum vnde oriantur, vim & naturam indicant, quæ cum Philoſophi ſpectarent, rerum omnium conditarum cauſam eſſe, non quamuis, ſed præſtantiſſimam, & ſapientiſſimam, & æternam agnoſcebant eſſe. Neq; enim temerè mundum aut natum aut gubernari iudicarunt, rerum ordinem admirati, prouidentiam DEI, qua regeretur confitebantur. Quod Paulus ita eſſe teſtatur, cum ait, quia quod notum eſt DEI, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis manifeſtauit, & quomodo manifeſtauit docet: inuiſibilia enim inquit ipſius à creatura mundi per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: quæ verba Pauli diſerte, & luce ipſa Solis clarius docent, veſtigia diuinæ virtutis in rebus creatis impreſſa

Effecta vim cauſarum indicant.

Vnde Philoſophi cognouerunt Deum.

conſpici, per quę in cognitionem eius deueniatur, manifeſtum ſe eſſe voluit nobis, etſi inuiſibilis ſit, & inacceſſam lucem habitet, & manifeſtū ſe eſſe vult, non per ſuam abſconditam diuinitatem, ſed per res ipſas à ſe creatas, quæ conſpiciuntur, quibus ille ſapientiæ ſuę & potētiæ teſtimonia impreſſit, vt ex ijs quæ manifeſta ſunt nobis. quæ creaturam Apoſtolus vocat, inuiſibilia Dei, virtus & diuinitas eius conſpiceretur. Vt enim ex effigie liberorum parentes agnoſcuntur, ita è rebus creatis agnoſcitur Deus; nam vt liberi ſimilitudinem parentum referunt, ita in rebus creatis, virtutis diuinæ magna & indubitata argumenta relucent, quæ nos in cognitionem Dei deducant, peruenit ad eam cognitionem, quē tu vnum doctorem veritatis diuinæ vis eſſe Ariſtoteles, qui toto excuſſo mundo, & cœleſtibus corporibus clauſo, extra illum, nihil corporeum conſiſtere poſſe, concludit: totum illud entibus, vt vos vocatis, inuiſibilibus & corpore carentibus tribuit,

Ariſtoteles vnum Deum eſſe cognouit plures tamen coluit.

inter

inter quæ vnum tuũ illudens; quod nos Deum patrem principium ſine principio vocamus, ait eſſe, à quo & corporea & corporis expertia vitam & ſubſtantiam ſuam habeant, ab eo enim omnia dependent, cum ipſe à nullo dependeat, quem & eſſe, & potentiſſimũ eſſe inde cognouit, quod videret admirandos curſus cœlorũ, & temporum varietates in ordinem perpetuum & conſtantem redactos, res pugnantes, ita contextas, vt nullum vnquam diſſidium in eis exoriatur; Omnia ſibi cõſenticntia ſint, & perpetuo nexu colligata, tantum item ornatum cœli, ſyderum ſplendorem, & cętera plurima ſumma admiratione digna cum intueretur nõ modo eſſe illum gubernatorem & moderatorem tantę molis potentiſſimum & ſapientiſſimum, ſed etiam vnum, cui nemo aduerſaretur, à quo omnia dependerent, quod in ijs libris quos de cœlo inſcripſit, teſtatũ reliquit: atque vtinam vt ad huius veritatis cognitionem venire potuit, ita eam ſemel amplexus, perpetuò

Sapientia Dei & potentia vnde cognoſcatur.

Ariſtoteles veritatẽ cognitã deſeruit.

retineret, certè in illũ ſenſum, quem Paulus reprobum vocat, non incidiſſet, gloriam DEI ad res creatas non tranſtuliſſet, non ſolum reptilibus & ſerpentibus, ſed nec aſtris, quę videret aliunde moueri, & aliena ſapientia tanto cum decore & conſenſu circumagi, nec ipſis hominibus diuinum honorem tribuiſſet, hunc ſolum quem ſapientiſſimum, & perfectum videret, coluiſſet, ingenij ſui illam vim & intellectum in eius obſequium captiuum duxiſſet, nec rationi ſuæ, nec ſenſui tantum tribuiſſet, quantũ tu ſtultitiæ tuæ tribuis, Propterea etenim DEVS veſtigia ſapientiæ & bonitatis ſuæ rebus creatis impreſſit. Et propterea tanto ſplendore mundum ornauit, vt homines in admirationem rapti opificem tantæ pulchritudinis, tam ſtupendi operis perquirerent, inuentum agnoſcerent, agnitum honore debito ornarent, & ſolum colerent: & quoniam cognitio Dei, non in eo ſolum conſiſtit, ſi ſciamus Deum eſſe, & vnum eſſe, quod & Iudęus & Sara-

Cur Deus veſtigia ſui rebus impreſſit.

Saracenus profitetur , & Socrates, qui quod idem vel docuit, vel ſenſerit ; venenum haurire iuſſus ſit. Verumenimverò, quis & qualis ſit, ne quid in eius Maieſtate ignotum relinquatur: quod ignoratum magni erroris & diſceſſionis ab ſe, cauſa eſſet,non ſolum DEVS ſe & eſſe,& vnum ſolumque Deum eſſe,voluit nobis demonſtrare. Sed etiam qualis ſit admonere non neglexit, nilque nos de ſua natura celare voluit. Vt igitur ſe eſſe & vnum & ſolum in ſubſtantia D E V M teſtatus ſit, ita perſonarum Trinitatem nobis indicare quoque voluit,vt ſicut vnum in ſubſtantia cognoſcimus, ita Trinũ in perſonis veneraremur. Et quoniam filium de ſua ſubſtantia generet,& Spiritum ſanctum ſpiret, ne nobis hæc eius & generandi & ſpirandi perſonas ratio abſurda videretur, Solis corpus cum ſua luce, radio & calore exemplum nobis propoſuit. Vt ſicut Solem vnum, & in cælo ſemper hærentem cernam', radius tamen eius, qui inde exortus *Sol imago Trinitatis.*

ad nos demittitur, corpora obiecta feriat, mundum illuſtret, oculis noſtris lucem infundat, aliam rationē eſſe iudicarem', quàm Solis ſit, quēadmodum & caloris eius, quem radius ipſe ſpirat, alia ratio videatur. Quæ tamen tria & ſimul ſemper eſſe & vnū ſolem eſſe videamus, vt quēadmodum Solem vnum eſſe aſtrum vnde omnis generandi vis, in rebus creatis exoriatur, ſpectem', ita vnum eſſe Deum, vnde omnia eſſe ſuum & vitam habeant credamus, cogitem' vt Solem lucem, qua omnino omnia illuſtrat; & calorem quo omnia vegetat, ex ſe emittere, ita à Deo patre filium & ſpiritum ſanctum procedere, qui tres, ſi ſubſtantiam eorū ſpectes, vnus & idem DEVS ſunt, quemadmodum & Sol cum ſuo radio & calore quem ſpirat, vnum & idem aſtrum eſt: vt ex Solis ſubſtantia lux & calor prodeunt, ita à patris ſubſtantia & filius Dei & ſpiritus ſanctus procedunt. Vt autem Solem nunquam à radijs, & calore deſeri contingit, ſemper enim in Sole hęrent,

rent, nunquam ab eo ſeparantur, ſemper ex eius ſubſtantia dependent ita filius & ſpiritus ſanctus nunquã à DEO patre principio ſuo diuelluntur, vnum & idem ſecundum ſubſtantiam, quam cum eo eandem & vnam habent, ſimul ſunt, nunquam Sol abſque radio ſuo eſt, nunquam non calidus eſt, nunquam pater abſque filio, nunquã abſque ſpiritu ſancto fuit, ſemper eſt pater, ſemper filius, ſemper ſpiritus ſanctus; neque enim pater, niſi filius etiam eſſet dici poſſet, ſemper DEVS pater virtutem ſuam ſpirat, ſemper res omnes viuificat, ſemper igitur ſpiritus ſanctus in eo vt in ſuo principio eſt. Vt ſemper calor in igne, ita ſpiritus ſanctus ſemper & ex patre & in patre: atque equidem hoc exemplo Solis patres in demonſtranda Trinitatis ratione perſonarum diuinarum vſi ſunt. Hoc Gennadius Scolarius Patriarcha principi Turcarum generationis filij DEI rationem à ſe expoſcenti ſpectandam propoſuit, patrẽ corpori Solis, filium radio,

ad nos demittitur, corpora obiecta feriat, mundum illuſtret, oculis noſtris lucem infundat, aliam rationē eſſe iudicarem⁹, quàm Solis ſit, quēadmodum & caloris eius, quem radius ipſe ſpirat, alia ratio videatur. Quæ tamen tria & ſimul ſemper eſſe & vnū ſolem eſſe videamus, vt quēadmodum Solem vnum eſſe aſtrum vnde omnis generandi vis, in rebus creatis exoriatur, ſpectem⁹, ita vnum eſſe Deum, vnde omnia eſſe ſuum & vitam habeant credamus, cogitem⁹ vt Solem lucem, qua omnino omnia illuſtrat, & calorem quo omnia vegetat, ex ſe emittere, ita à Deo patre filium & ſpiritum ſanctum procedere, qui tres, ſi ſubſtantiam eorū ſpectes, vnus & idem DEVS ſunt, quemadmodum & Sol cum ſuo radio & calore quem ſpirat, vnum & idem aſtrum eſt: vt ex Solis ſubſtantia lux & calor prodeunt, ita à patris ſubſtantia & filius Dei & ſpiritus ſanctus procedunt. Vt autem Solem nunquam à radijs, & calore deſeri contingit, ſemper enim in Sole hærent,

rent, nunquam ab eo ſeparantur, ſemper ex eius ſubſtantia dependent ita filius & ſpiritus ſanctus nunquã à DEO patre principio ſuo diuelluntur, vnum & idem ſecundum ſubſtantiam, quam cum eo eandem & vnam habent, ſimul ſunt, nunquam Sol abſque radio ſuo eſt, nunquam non calidus eſt, nunquam pater abſque filio, nunquã abſque ſpiritu ſancto fuit, ſemper eſt pater, ſemper filius, ſemper ſpiritus ſanctus; neque enim pater, niſi filius etiam eſſet dici poſſet, ſemper DEVS pater virtutem ſuam ſpirat, ſemper res omnes viuificat, ſemper igitur ſpiritus ſanctus in eo vt in ſuo principio eſt. Vt ſemper calor in igne, ita ſpiritus ſanctus ſemper & ex patre & in patre: atque equidem hoc exemplo Solis patres in demonſtranda Trinitatis ratione perſonarum diuinarum vſi ſunt. Hoc Gennadius Scolarius Patriarcha principi Turcarum generationis filij DEI rationem à ſe expoſcenti ſpectandam propoſuit, patrẽ corpori Solis, filium radio,

ſpiritum ſanctum calori componēs. & vt Sol ſemper in cœlo ſit, ita patrē in cœlo, vt lucem inacceſſam ſemper manere; vt radius qui in Sole eſt ad nos deſcendens, mundum illuminet, & vitam calore ſuo| rebus corporeis largiatur, ita filium DEI ad nos deſcendere, tenebras noſtras illuſtrare, veritatem docere, vnde lux quæ omnem hominem, venientem in mundum illuſtret, appellatur, in quo lumine Propheta etiam dixit, ſe lumen DEI patris viſurum. Et in lumine tuo videbimus lumen, dicendo, hoc inquam Patriarcha ille monſtrabat, ac Spiritum ſanctum à patre procedentem calori Solis, omnia & renouanti, & viuificanti conferebat, quod Prophetæ verbis firmabat, qui diceret: Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Atque ille Saracenus princeps ex ijs quæ de Sole dicerentur, & generationis diuinæ & vnitatis ſubſtantiæ, & Trinitatis perſonarum rationem appræhendit, & Patriarchæ Gennadio ſubſcri-

Pſal. 35.

Pſal. 103.

ſcripſit, quod tua impietas & inſania non admittit: Verſipelles tibi vaniſſimo homini, quod ad Solis lucem, generationem, myſteriaque diuina deducimus, quod in Solis luce, in quo DEVS poſuiſſe tabernaculum ſuum à propheta dicitur, arcana eius explicamus, corpori Solis in cœlo ſemper manentis, patrem: radio in Sole hærenti, & ad terras deſcendenti: filium, calori ſpiritum ſanctũ componimus. Non ferunt oculi cæcitatis tuę hanc lucem, pellem tuam vertis. & in dumeta tua, & ſophiſtarum figmenta refugis, aſyſtata quæ à nobis dicuntur, appellas. Cum tu nuſquam conſiſtere queas, toto orbe oberres, nullam rationem religionis probes, quod probaſti impro bes, quod dãnaſti amplectaris: damnabas Philoſophos Lublini, Ariſtotelis axiomata ridebas, quæ nunc fundamenta tuæ doctrinæ vis eſſe: meminiſti quendam doctorem, qui in labyrintho Trinitariorũ, & Anabaptiſtarum multo tempore hęrebat, vt autem te Minotaurum nouũ, qui

Pſal. 81.

Francken vagus homo.

qui Chriſtum vorares, videret, ſe inde euoluit: tuamque doctrinam deteſtatus, te dyris deuoto ad veritatis lucem, Eccleſiam catholicam rediJt, Trinitatis rationem & confeſſus & veneratus. Cũ tu doctrinæ tuę firmamenta ab Ariſtotele proferres, tibi atque Simoni vipereo dixiſſe: Atqui cum nobiſcum Lublini eſſes, Philoſophos cum ſua doctrina deteſtari ſolebas, nullum locum illis in hac Chriſti ſorte, eſſe dicebas: nunc aũt totam religionis rationem inde dependere aſſeueras, vnde quæſo tanta & tam ſubita mutatio? Equidem ego reſponderem Doctori non aliunde, quàm quod cœcitas tua lucem veritatis non ferat; vidiſti te rebus neceſſarijs è ſacra ſcriptura vrgeri, omnem rationem mendaciorum tuorum tibi eripi: Vertiſti pellem, pro Chriſtiano Peripatheticus & ipſiſſimus Ariſtoteles factus es, & non triduo, vt ille qui ſe triduo (ſi ſibi moleſti aduerſarij eo nomine, quòd Iuris ignarus videretur, eſſe pergerent) Iuriſconſultum fore docebat, ſed

Cur deſertis caſtris ſcriptura ſacra ad Philoſophos Franckus cõfugerit.

ſtatim

ſtatim & momento vno iam Chriſtianus & Apoſtolus, iam Philoſophus & Ariſtoteles fieri ſoles, refugiſti in Lycęum, vt tibi liberior mentiendi licentia ſit, vt omnia ad ſenſum reuocans, ſensu omni comites tuos atque diſcipulos exſpolies, neque Aſyſtata, neque pugnantia ſunt, quæ tu rides, aptiſſimo exemplo Solis, diuinarum perſonarum ratio exponitur, ſuæ & vnitatis & Trinitatis effigiem & imaginem DEVS Solem eſſe voluit, vt vnus eſt ſubſtantia Sol, ita DEVS ſubſtantia vnus, vt proprietatum Solis, triplex eſt ratio, alia ipſius corporis quod radium generat, alia radij qui ignitur, alia caloris, qui ſpiratur, ita alia eſt proprietas patris perſonę, ingenitũ eſſe principium, absq; vllo principio eſſe, oĩa ex ſe producere & generare, alia filij vt generari ſiue genitũ eſſe per eũ omnia fieri, alia Spiritus ſancti procedere & ſpirari, in quo omnia fiant. Si igitur ſubſtantiã Dei ſpectes vt Solis, vnus eſt DEVS, vt vnus eſt Sol, ſin proprietates, quæ perſonas diſtin-

ſtinguunt, trinus eſt in illa vnitate ſubſtantiæ, vt & Solis triplex eſt ratio & proprietas: vna, qua corpus & aſtrum eſt, ſemperque in cœlo hęret: altera, qua radius, qui in cœlo & corpore aſtri hærens ad hæc citima deſcendit, & per totum orbem diffunditur, & omnia illuſtrat. Tertia caloris, qui cum procedente radio exſpiratur, ac rebus vitam largitur: & quoniam quæris, cui Solis luci Trinitatem comparemus, vtrúmne ei quæ prima eſt, quæ aſtrum, Solis & corpus conſtituit, an ne ei quæ per
Baſilio ina- mundum diffunditur, breuiter tibi
quis Franckē. quod patres docent, exponemus, quos patres ſi audieris, quid ſit Deus, & quomodo ſit adorandus, agnoſces, nec deinceps in iſto erroris tui cœno hærebis, ad lucem veritatis venies Patris, inquiunt illi, filij & Spiritus ſancti vnum eſt conſilium, ſapientia vna, potentia vna: neque vnus quidem exiſtit ante ſæcula, alter verò poſt ſæcula, ſed ſimul pater & filius, & ſpiritus ſanctus: Filius in patre, & Spiritus in filio & patre. Cohæ-
ret

ret enim hæc natura: Vnde vna eſt natura, & vna deitas: diſtincta quidem in tres hypoſtaſes, ſed in vnitatem occurrens, habita eſſentiæ ratione. Idcirco etiam cum patrem dicimus, & filium, ac Spiritum ſanctum profitemur, vnicum DEVM dicimus. Eſt verò DEVS commune nomen Patri, filio, & Spiritui ſancto: Pater verò, & filius & ſpiritus ſanctus, non ſunt communia nomina, ſed propriæ ſingulorum hypoſtaſeis. Pater enim non dicitur filius, nec filius dicitur pater, nec ſpiritus ſanctus vocatur pater, aut filius: At DEVS ſemper Trinitas appellatur. Itaque cum tres hypoſtaſes, ſiue tres perſonas dicimus, non dicimus tres eſſentias, ſiue tres naturas, ſiue tres Deos: ſed vnum DEVM, vnam eſſentiam, ſiue vnam naturam profitemur, ne Arianizemus: & rurſus, quum vnam eſſentiam ſiue naturam dicimus, non dicimus vnā hypoſtaſin, ne Sabellianizemus, ſed tres hypoſtaſes, ſiue tres perſonas in vna deitate, vnā eſsētiā & na

turam credimus. Eſt autem Deus, eſſentia, quę omnem contemplationē ſuperat, mens q̄ comprehendi nequit, pulchritudo, cui' ratio arte nulla iniri poteſt, magnitudo quæ cerni nō poſſit, gloria omnē cogitationē effugiens. Filius eſt ineffabilis proles, ſermo ratiōe nulla explicabilis, mēs inſuperabilis, eſſentia inuariata, natura inacceſſa, character ſubſiſtens, Spiritus eſt intellectualis & ſimplex, ſubtilis, planus, ac pellucidus, omnis noxæ & maculæ expers, & omnia intuens. Simulachrum patris eſt Sol, radius filij, radij calor eſt Spiritus ſanctus; itaque Sol eſt pater, radius filius, ſplendor ignitus eſt ſpiritus ille prorſus ſanctus. Et Sol quidē nunquam cælum deſeruit: Filium autem vt radios, ſplendorem videlicet ab ipſo refulgentem, emiſit in terram, & Spiritum ſāctum, vt calorem quo ſuperiorem & inferiorem mundum vndequaq; foueret, & bonis cumularet. Ita nobis cogitandum eſt, de vnica in tribus hypoſtaſibus deitate. Natura eſſentia, forma ſimul eadem eſt,

Deſcriptio perſonarum diuinarum.

eſt, hypoſtaſis & perſona idem eſt, & eſſentia quidem ſiue natura, id quod commune eſt deſignat; hypoſtaſis autem ſiue perſona, quod ſingulorum eſt proprium, declarat: Vt (exempli gratia ſic dicamus) in homine, omnes homines, vnius & eiuſdem naturæ ſumus, vna & eadem natura omnium eſt: ſiquidem omnes homines ex anima intellectuali & corpore cõſtamus; hypoſtaſibus verò multis & infinitis & innumerabilibus, & Petrus ac Paulus vnius & eiuſdem ſunt naturæ, hypoſtaſibus autem diuerſis; & naturam quidem inter ſe communem habent, diuiduntur autem hypoſtaſibus ſiue perſonis. Hęc Patrum ſunt, quæ naturam & arcana Trinitatis diuinæ, luce ipſa clariorem ante oculos noſtros ponunt, in quibus non diſputatur, de luce duplici Solis, Prima & ſecunda, vt tu argutaris, verum enimuerò, Solis corpori Pater, radio eius filius, calori Spiritus ſanctus cõfertur; ſed tu vt tibi acutus eſſe videâre, cui luci generatio illa comparetur, quæris, & nec primę, nec ſecundę

Francken in vanitate conſtans.

cam conuenire concludis, ne à vanitate diſcedere videaris. Quid ſi dicamus vnam illã lucem eſſe Solis, q̃ cũ ipſo ſole nata ſemp maneat, quæ ſemper ab eo diffundatur, nam radius in Sole ſemp, vt in ſuo principio eſt, nũquam áb eo dimouetur, etiam ſi per aerem effuſus, ad terram vſque veniat, eamq́ue feriendo non ſolum illuſtret, ſed etiam calefaciat, vna eſt vox quam tu ſonas, quam auribus ego meis haurio, non tum demum nata, cum in aures meas illabitur, ſed cum à te æditur; neque radius, quem ſecundam lucem vis eſſe, tum primùm naſcitur, cum terras ferire incipiat, ſed iam natus vna cum Sole circumfertur, omnia perluſtrans, ſtultum equidem eſt, tum rem naſci dici, cum agere quippiam incipiat: aliud eſt oriri & naſci, aliud operari: alia eſt geneſis radij Solis, quæ Soli coæqueua eſt, alia eius acceſſio, ad hunc vel illũ locum, non ignoro quidem naſci rem dici, cum agere quippiam dicatur, vt cum Sol ad Hemiſpherium noſtrum ac-

Aliud eſſe naſci, aliud operari.

accedat, dicimus eum oriri, & lucem naſci; non quod ſubſtantia eius tum demum naſcatur, ſed quod qui à nobis aberat, & in locis occultis, & ab oculis noſtris diſtinctis eſſet, nobis non eſſe videretur, fruſtrà in luce Solis partienda moraris, ne quicquam iam ad primam, iam ſecũdam lucem refugis, vtraque & ſceleris tui, & impietatis tuæ, blaſphemiarumque & inſaniæ, ſtultitiæque teſtis eſt, ac certè miror Solem ipſum, cum tu venerandam Trinitatem blaſphemè compellas, cum idolon vocas, curſum ſuum non referre, ſcelusque tuum non auerſari, lumenque ſuum mundo toti non negare, neq; enim tuum iſtud ſcelus quam Iudçorum, Chriſtum in crucẽ agentium, leuius eſt. Relinque igitur Solis lucem, demerge caput in tenebras mendaciorum tuorum, nugeris potiùs de æternitate mundi cum Proclo tuo: & naſci & interire ſecundam lucem aïs, vt ſcilicet λόγον genitum Deum; ſi natus ſit, interiturum cõcludas, & vt initium habeat, ita & finem habiturum: Ego verò

dico, nec lucem Solis, quam ſecundam vocas, tum naſci, cum nobis lucere incipiat, ſed iam vna cum Sole natam, lucere incipere, cum ſol curſu ſuo Orizontem attingat: nō quod quidem tum demum lucere incipiat, quod ad Orizontem veniat, lucebat enim ſub ipſo Orizonte, ſemper etenim & vbique Sol lucet, ſed noſtri reſpectu dicitur incipere, dicitur naſci, neque quoniam Sol ſub Orizontem mergitur, lux illa interit, ſed vnà cum Sole nos deſerit, neque tu tum natus es cum pelle lupi tectus, qui nunc apertè vlulas, ad Societatem Ieſu veniſti, neque inde profugiens interiſti, quod vtinam factum fuiſſet, mutas ſubinde locum ex Germania in Galliam, inde in alias Regiones fugis, idem tamen lupus manes. Sed alia tua firmamenta videamus: Solis lux, nihil tuam cœcitatem iuuat, ſemper Sol manet, nunquam lux eius eum deſerit, ſimul cum eo nata, ſimul cū eo manet, & vnà cum eo circumfertur, ſemper lumē noſtrum λόγος, cum Deo patre, & vnà & ſimul cum eo na

tum,

tum, nunquam pater ſine filio, nunquam filius ſine patre Deo fuit, in eo eſt, vt in ſuo principio: Pater in me eſt, & ego in patre, ipſa dixit veritas, & ipſa lux mundi quam tu tuis mendacijs, & arguta nequitia inumbrare conaris, frigidus tibi Sol ipſe videtur, frigidum exemplum inde deductũ, & propterea vt caleſcas, in furnum Procli properas, eiuſque de mundi ę ternitate argumenta recitas, non fuiſſe aut bonitatis, aut potentiæ DEI mundi genituram differre, & cætera multa, quæ ille pro ſuo tum errore ſtabiliendo, & Platonis, quamuis Platonicus eſſet, vnà cum Ariſtotele ingrato in ſuum præceptorem, ſententiam illam, qua aſſerit mundum genitum, æternum tamen eſſe, conuellenda vſus eſt, attulerit, memoriter recitas, quod ea tibi ſolis luci, cui filij Dei generationẽ Theologi conferãt, maxima aduerſa eſſe videantur, nihil enim prætermittis, quod ad filij generationem euertendam videatur, vndique aduerſum genitum Deum arma corrogas, quę Procli arma, quàm

Procli argumenta.

Franck Chriſtum diligenter oppugnat.

ad rē q̃ tractamus, pertineāt ꝑtermit-
to, nugeris quātum velis, latites ĩ ęter
nitatis tuæ latebris, allatres verbo
Dei, quantum velis, verbum tamen
Domini manet in æternum, potuit ô
ſceleratum caput, Deus mundum ab
æterno fabricare, & nunc poteſt mul
tos, ſed & tum noluit, & nunc non
vult, quod ita illi & commodum, &
ſuæ ſapientiæ decorum videatur, po-
teſt tuum os impudens claudere, ſed
Deus longanimis. exſpectat pro ſua bonitate & longa-
nimitate, vt reſipiſcas aliquando, vt
ad lucem te recipias, ac cum Nicode-
mo, authoritate verbi ſui motus,
Chriſtum ſequaris, ab alijs accuſa-
tum defendas, crucifixū de cruce tol-
las, vnguento pietatis eum inungas,
& lintheo veritatis eum circumuol-
uas, quod ſi feceris, vnà cum eo reſur-
gas: ſin in tua malitia perſeueres, æ-
ternis ignibus ſathanæ paratis, æter-
nitatem iſtam, in qua excutienda ni-
mium callidus eſſe videri vis, quam
ſit interminabilis experturus trade-
ris (quod fuit Procli errantis lucem-
que Chriſti refugientis) Proclus facit,
te

te quod, nomen tuum indicat, facere oportebat, ſtultitiæ plena ſapientia omiſſa veritatem ſemel amplexus, perpetuò defenderes, Chriſtumque filium Dei verum & æternum agnoſceres, mediationis munus illi non eriperes, Theologorum potiùs diſcipulus, quã Procli eſſe malles. Quod quoniam non facis, in tuam iſtam prudentiam, qua Theologos ſuperas, inſpiciamus: Procli, inquis, de æternitate mundi diſputatio aduerſa eſt Theologorum exemplo de Solis lumine, & quam illi ſoluere nequeant, non niſi negando ſimul poſſe eſſe effectus cum ſuis cauſis, quod quoniam illi de mundo, rebuſque quæ fiunt verè dicant, tu, vt canis, lapidem in te iactum arripis, & mordes, dentes tuos confracturus, non lapidem comminuturus: inde enim inferre contendis, λόγον genitum Deum non potuiſſe eſſe ſimul cum principio ſuo DEO patre, quaſi verò filius Dei effectum ſit DEI patris, & non idem in ſubſtantia, cum eodem Deo patre, à quo tantum perſonæ ratio-

Franckẽ quomodo remordeat argumẽta in ſe iacta.

ratione, & attributorum differat, qui ſemper cum Deo patre & eſt, & operatur, per quem Deus Pater omnia fecit, facit, & ſemper facturus eſt. Nihil te iſta callida mens & peruerſa hic iuuat, rationes rerum creatarum ad Creatorem trãsferri nequeunt, quas Theologi Proclo de rebus creatis diſſerenti reddunt, diuinæ generationis Proclus ignarus erat, nihil de illa cũ eo agitur, nihil inde ad diuinæ generationis naturam transferri poteſt. Etſi enim Deus veſtigia ſui in rebus multis reliquerit, etſi imagines veritatis ſuæ eis impreſſerit, vnde cognoſci velit, tamen ſimilitudo illa non exæquat planè naturam diuinam: neque enim omnia, quæ de rebus creatis dicta, vera ſunt, ſi DEO aptentur, vera erunt: Etſi nihil ouo ſimilius eſt, quàm ouum, non tamen illa ſimilitudo vnius oui, ita par alteri ouo eſt, vt ſubſtantia eius eſſe videatur, conamur per res ſimiles Dei naturam (& propterea, & Solis, & ignis, & animæ noſtræ, cuius triplex ratio cum ſit, vna tamen eſt) exemplis, Trinitatis diuinæ

Malitia Frãcken:

Similitudo in rebus non eſt planè par Deo.

uinæ

uinæ vim demonſtrare; non tamen ea quæ ad id afferantur, paria omninò illi facimus, nec facere poſſumus: nam & veſtigium pedis, quæ ſit menſura & ratio, pulueri impreſſum mõſtrat, non tamen pedis rationem totam & ſubſtantiam explicat. Sunt in Sole veſtigia Trinitatis, non tamen Sol par eſt ipſi Deo, tres potentię animæ hominis, vegetans, mouens, intelligens ſunt, vna tamen hoīs anima eſt, apparet in anima imago quædam Trinitatis, & ſimile quoddam, non tamen Maieſtatem illam occultam nobis penitùs exprimit: hoc ſimile eſt, quod cum tres potentiæ eius dicantur eſſe, proprietatibus ſuis diſtinctę, aliud enim eſt vegetare, aliud mouere, aliud intelligere; tamen ſi ſubſtãtia eius ſpectetur, vna anima eſt: Ita Deus cum ſit vna ſubſtantia propter proprietates hypoſtaſeon, trinus dicitur. Hæc enim animæ attributa, cũ ineffabili Trinitate, ſimile quiddam habent; ſed quod omnia quæ animã comitentur, ad Deum transferri queant, abſurdum dictu fuerit; eſurit illa

vis quæ vegetans dicitur, torpeſcit ſæpè mouens, morbo impedita delirat non rarò mens, vt iſta tua fallitur, decipitur intelligens vis, quod tu nõ ignoras, qui in errorem te prolapſum ſæpè teſtaris, erroris veniam petis, quod totum alienum eſt à DEO, nec vt tibi ita Deo aptari poteſt, quãobrem ineptè agis, imò ſtultiſſimè putas, omnia quæ rebus cõueniunt, æquè Deo patri cõuenire, & legibus rerum naturæ, diuinam Maieſtatem aſtringi, non ſequitur, quia in natura cauſæ priores effectis ſunt, in natura diuina idem eſſe, & filium, vt effectum Deo patre cauſa poſteriorem eſſe.

Error] Francken vnde.

Verſuta mis Francken.

Sed videamus artes huius tam acuti & ſubtilis Philoſophi. audierat quoſdam, quorum nomina ſugillat, Theologos, aduerſus Proclum, qui mundum æternum eſſe diceret, diſſerentes, atq; rationes Procli, quibus ille æternitatem mundi ſtabiliret, diſſoluẽtes, mox ea arripit, & in omnes partes verſat, vt inde aliquid aduerſum generationi filij Dei exprimat,

atq;

atque Theologos, quorum capſas compilaſſet, ſuo ipſorum gladio iugulet, occaſionem quærit, cū igitur illi dicerent, mundum ſi à Deo factus eſſet, ab eo ſuum eſſe, ac durationem accepiſſe, ſin verò coæternus illi, vt Proclus aſſerit, fuiſſet, certè non potuiſſe eum accipere ſuum eſſe à Deo, nam quod ſemper eſt, quomodo inquiunt, ad ipſum eſſe perduci poteſt? Omnis enim productio aliquid nouum neceſſariò ſignificat, quod iſte vt audiuit, ſtatim vt offam arripuit, clamat ſe viciſſe ipſorum Theologorum, quos philoſophos Trinitarios vocat, cōfeſſione: putat enim quæ de mundi generatione illi dicāt, generatiōi diuinę prorſus cōuenire, & ad ei⁹ amuſſim verbū Dei ex patre produci. Concludit igitur, vt mundus cum inciperet eſſe, & ſuum eſſe, & durationem à Deo accepiſſet, qui antè non erat, ita & verbum Deiq; filium, quo tempore naſceretur, à Deo patre ſuū eſſe, & ſuam durationem tum primum accepiſſe, & propterea poſteriorem Deo patre eſſe: neque illi cōueni

Victoria falſa Francken.

Error Francken.

re

re entis primi ratiões illas, quas ſupe
rius expoſuit: Vt mundus, inquit, cũ
crearetur à Deo, ſuum eſſe accepit, &
eſſe, qui nõ erat, cœpit; ita λόγος Deus
genitus naſcendo exordium ſump-
ſit, & eſſe ſuum à patre accepit, & ita
neceſſariò initiũ ſuæ eſſentiæ habet,
Quod autem initium habet, æternũ,
& interminatum eſſe non poteſt: cũ
Theologi dicant, mundum propter-
cà non eſſe æternum, quod à Deo cre-
atus ſit, & ſuum eſſe, & durationem
ſuam inde acceperit, quod cõfirmat
eorum ipſorum verbis, quibus teſtã-
tur, omnem productionem noui ali-
quid ſemper neceſſariò ſignificare,
qui quod fateantur filium Dei à pa-
tre productum, vrget cõcludendum
eſſe, productionem illã eſſe nouã: Et
propterea non eſſe ęternam, & neceſ-
ſariò λόγον nouum eſſe Deum, qui an-
tequam productus natuſq; eſſet, non
fuerit (Hoc ille elicere ex verbis The-
ologorum, quamuis obſcurè, & con
ciſè dicat, conatur) aut ſi verbum ini-
tium ſui eſſe non habeat, filium Dei
naſci è patre nõ potuiſſe, quod Theo
logi

logi idem dicant; Mundum ſi coæternus Deo fuerit, à Deo non eſſe conditum, nec ab eo ſuum eſſe accepiſſe: Et propterea illud Axioma de primo mouente, A primo ente omnibus eſſe datũ, infirmari, & vniuerſum pronunciatum vno hoc mundi exemplo, ex diuerſo illi obiecto euerti, quę enim vniuersè dicta fuerint, vno ſingulari contrario producto euerti ſolent, & infirmari. Quæ cum ita ſe habeant, concludendum neceſſariò noſter Antagoniſta clamat, filium DEI λόγόν, & Deum genitum, aut nũquam natum è Deo patre, cui coęternus eſſet: Et propterea generationem diuinam nullam eſſe, & quicquid de ea diceretur, confictum eſſe, aut ſi genitus ſit, nouum eſſe, interminabilem, & æternum non eſſe; cum incepiſſe, & ortum eſſe, conditionibus æternitatis, vt Theologi aiunt, repugnet: hic eſt ſcopus, ad quem coniniat noſter Francken, cui vno verbo reſponſum eſto: Primum, nos Procli ſententiam & argumenta non recipere, & quæ ille acutè videtur concluſiſſe, vt falſa reijce-

Procli argumenta reijciuntur.

reijcere, totumq́; quod confecit negando diſſoluere, ſemper Deus bonus fuit, ſemper mundum producere potuit: non ſemper tamen id facere voluit, erat tempus, cum ille pro ſua immenſa ſapientia, mundum eſſe, non neceſſe iudicaret, & quem tũ produxerit, cum id & ſibi, & ſuæ gloriæ, rebuſq́; omnibus, ac nobis qui ei fruendo propoſiti fuimus, expediret. Nihil neceſſariò Deus facit, voluntati ſuæ & ſapientiæ omnia ſubiecta ſunt, omnia illi parent: neque ſequitur, qui mundum ab initio creare noluit, bonitati ſuæ propterea aliquid detractum, quæ eius bonitas, vt & ſapientia, vt & voluntas & poteſtas, æterna & immutabilis ſemper ſit. Nã cum ille ipſe immutabilis & æternus ſit, omnia ea quæ in eo ſunt, æterna eſſe neceſſe eſt Et noſter Frãcken poſterius dicet, quicquid in Deo ſit, Deum eſſe, vnde ſequitur, bonitatem eius numen ipſum eſſe, & propterea nunquam accidere potuiſſe, vt Deus non bonus eſſet. Deinde dicemus, ꝙ iam etiam dictum eſt, nõ eandem rerum

Deus nullane ceßitate premitur.

rum conditarum rationem eſſe, quæ ſit diuinitatis, alia productio verbi Dei eſt, alia mundi, mundus tum demum cœpit, cum ex nihilo conditus eſt, verbum Domini manet in æternum, & æternam generationē diuerſam à rebus creatis habet, quæ cum ſuo principio ſemper ſit, vt principiū illud æternum eſt, ita verbum è principio natum æternū eſt, & æterna generatio: Tecū, inquit Propheta, principium, in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum, ante Luciferum genui te: Tecum, inqt principiū, quod quæſo, eſt illud principium? Equidem principium illud, de quo Spiritus ſanctus per os Prophetę loquitur: eſt Deus pater, principium ſine principio, ens primum, vnde omnia dependeant. Quis ille eſt, cum quo dicitur principium eſſe, equidem verbū æternum, filius Dei, cum quo principiū ſemper eſt. Vnde illa Ioannis vox: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum; & Deus erat verbum: Tecum, inquit principium, quę re, quādo eſt, cum verbo principium

Deus

Deus pater, in die virtutis tuę, inquit, quæ virtus filij Dei & verbi, per quod omnia facta ſunt, eadem quæ principij patris, qui per verbum ſuũ omnia
Pſalm 32. operatur: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & omnis virtus eorum, verbum eſt virtus Dei patris, qua pater nunquam caret, alioquin ſequeretur patrem ante verbum, quod iſte fingit, initium habere, virtutem, vel habuiſſe nullam, vel nihil exercuiſſe per eam, ſed ſemper Deus operatur, ſemper eius virtus, verbum ipſum fuit, nunquam incepit: Nam generatio illa diuiua initium non parit, genuit filium, ſed non peperit initium, ipſa eſt initium, æternitas interminata, multò diſſimilis generationi mundi, cuius exordium narratur: ex ſua ſubſtãtia Deus pater filium genuit, quę ſubſtantia, quoniam æterna eſt, exordium nullum habet, & verbum inde genitum æternum eſt, cum ſit eiuſdem ſubſtantiæ cum ſuo principio patre Deo, mundus ex nihilo factus, non ex eo quod fuit, ſed ex eo quod tum non eſſet, poteſtate Dei eſſe cœpit,
ne-

neque hic idolo illi materiæ locus da
tur, ex nihilo omnia producta ſunt:
habeat Ariſtoteles ſui erroris & fig- *Materia pri-*
mētorum ſuorum hoc principium, *ma figmentū:*
quod quid eſſet, nec quale, nec quan-
tum dicere auſus: Bibant ex hac eius
fece, qui volunt etiam Matheologi, ſi
placet, nos materia prima, vt figmen-
to humano, reiecta, mundum ex ni-
hilo, virtute diuina, & verbo eius cō-
ditum affirmamus, diſſimilemque e-
ius generandi rationem ab illa, qua
verbum Domini natum ſit, profite-
mur, Franckenque & ineptè & ſtultè
facere dicimus, qui mundi generatio
ni, generationem filij DEI exæquat,
regula caduca æterna metitur, qui vt
ſtultitiam ſuam impietate cumula-
ret, reprehendit Theologos, qui Dei *Impietas*
nudam voluntatem ſequuntur, ait e- *Francken.*
nim: Quare imperitorū eſt hominū
ad nudam voluntatem Dei, quaſi in
aram mutam & brutam confugere,
imperitos nos vocat; qui voluntati
diuinæ omnia ſubijcimus, qui à filio
Dei æterno edocti orando dicimus;
fiat voluntas tua, quæ noſtra ruditas,

ſapientia apud Deum eſt, vt iſtius ſapientia, ſtultiſſima illa ſtultitia, quæ regulam diuinæ voluntati apponit, vt ab ea non diſcedat, intra metas eius ſe contineat, non quod vult faciat, ſed quod regula iudicet faciendū; quam regulam bonitatem eius eſſe vult, ſic enim ait: Non enim voluntas Dei, cum bonitatis ſuæ pugnare poteſt lege, nec voluntas poteſt eſſe regula bonitatis, ſed bonitas potius regula diuinæ voluntatis, quod propterea dixit, quod cum Proclo mundum æternum & non productum à Deo, ſed coæquæuum Deo eſſe cōcludere conatur: dicebat enim Proclus, Deum eſſe ſemper bonum, & conuenire illi, vt bonitatem ſuam ſemper per alios cōmunicet: porrò cum mū dus non eſſet non habuiſſe, cui eam communicaret, quod accidiſſe putat eius ipſius Dei vitio, qui vt bonitatē ſuam mundo communicaret, nō curauit mundum cōdi, cuius rationem duplicem aiebat, vel quod nollet, vel quod non poſſet; & ſi non poſſet, poteſtas eius finita eſſe dicenda eſſet, & ille

Prancken mundum creatum negat.

ille finitus, quod abſurdum videretur, ſi noluit, non ſemper bonum fuiſſe fingit, cum de natura boni ſit ſemper ſeipſum alijs communicare, & voluntati bonitatem moderari debuiſſe, vt quoniam bonitas vellet ſe ſemper communicari alijs, Dei volũtatem bonitatis regulam ſequi debuiſſe, non differre communicationem ſui, ſed curare debuiſſe ſtatim, vt eſſent, quibus ſe communicaret, vnde concludit, bonitatem voluntatis diuinæ, non voluntatem eius, legem & regulam eſſe, idque eam velle debere, quod bonitas poſceret, non id velle, quod illi aduerſum eſſet: Et quoniam bonitas ſemper ſe communicare cupiat alijs, neceſſariò ſeq vult, Deum id ſemper voluiſſe, quod bonitatis ſuæ eſſet, & ſe alijs cõmunicaſſe, & propterea mundũ ſemper fuiſſe, cui diuina bonitas cõmunicaretur, nec vnquã incepiſſe, falſumq; eſſe noſtrũ illud axioma, mundũ à Deo productũ: hęc iſtius eſt philoſophia, nõ filiũ tantũ Deo patri eripit, verũ etiã & mũdi initio & poſſeſſiõe priuat, bru-

Improbitas Francken.

& mutam voluntatem Dei appellat, nos qui ſe ei totos ſubijciamus, & rationes contra ea adductas, ſpernamus, imperitos & ſtultos vocat, non licet Deo per leges iſtius noui philoſophi quod velit facere, regulas illi opponit, infinitam & æternam generationem verbi terminis includit; fuiſſe tempus cum inciperet eſſe verbum Dei, ſe demonſtraſſe, finem etiam generationem habere, demonſtraturũ ait, nec poſſe eſſe, vt & genitũ eſſe ab æterno, & verbum λόγος, & generari ſemper dicatur, quia inquit æternæ generationis, quaſi terminus λόγος eſſe dicatur. Et propterea ſimul atq; genitus ſit, generationem illam deſijſſe, æternitati autem non conuenire finem, quæ interminata ſit: Et propterea λόγον nunquam natum à Deo patre, filiumque eius non eſſe, & totum illud quod de generatione filij Dei dicatur, figmentum hominum idolis deditorum eſſe, quod figmentum Romanis, idolis colendis aſſuetis proprium iam in principio dixit: Ita iſte filium Dei, quem nobis natum,

natum, nobis datum eſſe canimus: Poliphemus eripuit, mediatore nos ſpoliauit, omnia præſidia contra Sathanam, & omnia arma, quæ ille nobis ſuppeditaret, eripuit, ęternitatem verbi terminis incluſit, & proinde quaſi re bene geſta exultans ait: Atq; hactenus demonſtraui, æternam generationē non eſſe antè interminabilem, & eam ob cauſam non eſſe verè æternam & immutabilem. At nos tuam authoritatem non audimus, totum quod aſſumis reijcimus, falſa te dicere reſpōdemus, qui quod rerum creatarum ſit, ad Creatoris æternam generationem transferas, & ex vno genere rerum in aliud incurras, vt ex vna in aliam religionem, æternam generationem nō eſſe interminabilem tu ais: Ego contrà, dico eſſe interminabilem, ac non ſolus ego hoc dico, ſed totus mundus, omnes omnium ſectarum religiones, æternam generationem verbi DEI conſtantiſſime defendunt, teq́ue eo nomine, quod in eam inuaſiſti, facibus armati perſequuntur, quorum tu tantum conſen-

Scelus Francken.

Conſenſus omnium in Trinitatis articulo defendēdo

ſum & conſtantiam maximam deploras, & quod cum in cæteris diſcordes ſint, in Trinitatis articulo conſentiant, miraris, cauſam eius & conſenſus, & conſtantiæ perquiris; quam falſam & tua impudentia commentitam affers cõſuetudinem plures deos colendi, vera cauſa eſt, tanti conſenſus & conſtantiæ veritas ipſa, quã omnes omnium religionum homines agnoſcunt: & cum in cæteris aliud alijs videatur, hoc vnum clariſſimum lumen omnium oculos æqualiter ferit, qui & vnum Deum ſacrã ſcripturam eſſe teſtari credunt, & tres eſſe à Chriſto demonſtratos vident, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, & quomodo vnus ſit, quomodo tres, à Spiritu ſancto, qui Eccleſiæ omnem veritatem demonſtrat, docentur: vnum eſſe in ſubſtantia, trinũ in perſonis, vna eſt ſubſtantia proprietatibus tribus diſtincta, vt iam toties diximus, nihil ais, ô tenebrio, lucem hanc, quæ in toto mundo lucet, tu tuis mendacijs, & tenebricoſa diſſertatione tua, inumbrare non poteris

teris, clames, licet vt etiam ramices rumpas, non ſatis tibi viſus es, debacchatus in generationem æternam, quod initium ei appoſueris, niſi etiã finẽ ponas, λόγος inqs ęternę generationis finis eſt, igitur generatio λόγου patrẽ generare deſijſſe neceſſariò, imò impudenter cõcludis; ſed tuũ limẽ generationis diuinæ iſtud, quod calcamus omnes, nihil eſt, vt Solis lumen ratio tua inumbrare nequit, vt igni petulantiæ tuæ, manibus admotis calorem vimq; auferre non poteris, ita generationi æternæ, terminos apponere fruſtrà tentas; ab æterno filium Deus pater genuit: ab æterno eum & in æternum generat: Pone ſceleratũ *Petulantia* caput terminos petulantiæ tuę, intra *Francken.* modum conſiſte: quam vim quoniam tibi ipſi inferre nõ potes, quomodo Maieſtati diuinæ, & immenſæ eius poteſtati leges pones? & in ordinem rerum creatarum eum rediges? λόγος, inquis, quaſi terminus generationis eſt æternæ, igitur terminata eſt, nego, & ſequelam tuam reijcio.

& tu nō audes dicere terminum, ſed quaſi terminum: Terminus eſt quidem filius genitus, nemo alius eſt prę ter hunc, ſed hic vt natus eſt, ita naſcitur ſemper, in hoc vno conſiſtit generatio æterna, vltra hunc non progreditur, verum tamen æterna eſt, cum Deus pater æternus, ęternum genuit, & generet ſemper filium, quicquid, inquis, in Deo eſt, Deus eſt, atqui ęternitas in Deo eſt, Deus igitur eſt, at deus Deum generat, & generatio igitur illa, & ipſe genitus æterna ſunt neceſſariò, vt & genitor. Quicquid in Deo eſt, Deus inquis eſt, æternitas in Deo eſt; eſt enim æternus: Atqui generatio in Deo eſt, quod ipſe teſtatur, ego hodie genui te, & ex vtero ante Luciferum genui te: igitur generatio illa Deus eſt, igitur & generatio æterna, ſin autem æterna interminabilis, initio & fine carēs: ſed tu inflatis buccis proclamas: Huius vim rationis, quā-do Theologiæ viribus infringere nō poſſunt, ad meram ſeſe conuertunt logodadelian, audacter fingentes æternitatem eminenter cōtinere om-

Nugatur ſua mente. Francken.

nem

nem durationem temporis. Quid hoc vir acute, ad rem eam quam tractas quis negauit æternitatem omnẽ durationem temporis continere, totum quod eos dixiſſe refers, noſtrum eſt, verum eſt, immotamque veritatem continet, in æternitate omnia tẽpora cõprehenduntur. multa te hic rabie tua, qua in λόγον feraris excœcatum video, non vidiſſe. primum λογοδεδάλειαν Theologis obijcis, rerumq; varietatẽ, quibus generatiõis diuinæ Trinitatem defendãt, quod quidem vitiũ nõ eſt, varietas enim in diſſerendo probatur, vt ταυτολογεία improbatur magnos viros λογοδεδάλους appellatos, à magnis viris legimus, laudati inde ſunt multi, quod in diſſerendo varij eſſent: tu hoc Theologis, vt vitium & technam obijcis, ſed credo te voluiſſe dicere ad logomachiam eos cõfugere: nã mox ſubdis, tantũ verbis Trinitarios, ita enim nos vocas, immutabilitatem Dei defendere ita mihi vel ignorare videris vim locis λογοδεδαλίας vel aſtutè tuis imponere conari vocibus ſpecioſis, & à communi

Franckenfurore cæcus.

Aſtutia in decipiendis hominib. Francken.

ſ nſu remotis, orationi tuę tanquam lemni cis inſertis, quod ſæpè facis. inde illa tua ſunt critiria, inde ἀδιωστα, inde energia, & dinamis, & tuum ἀτόπον Græcę linguæ te peritum eſſe indicas, vt homines te altius videre omnia arbitrentur, ac faciliùs hoc ſpecimine capiantur, putant enim vocem λόγος & tua critiria, tuamq́, λογοδεδαλίαν è ſinu patris te rapuiſſe, & ibi te generationem verbi æternam non eſſe, Trinitatemq́, idolon eſſe, tuis iſtis acutis oculis, cerusa Græca perunctis deprehendiſſe quod Theologi nō vidiſſent. ſed cætera perſequamur: Ais mirum eſſe, nos occultare ęternā mutationem, quæ quæſo iſta tua æterna mutatio tandem eſt, ſi mutatio eſt, ęterna non eſt, in tuo ore, hæc gemma tua hæſitat ſemper: quod mutatur, æternum non eſt, & ex eo principio ſtatim inferre filium Dei, dum homo fieret mutatum eſſe, & propterea nō æternum, æternam mutationē ais occultari quę ſi tu dicas album nigrum eſſe, & calidum frigidum, quod vitiū Theologis ſæpè obijcis, in eo ipſe hęſitas,

ſitas: Deſine rogo te, aliquando men tiri: deſine veritatem oppugnare, ignem gladio fodis, tibi ipſi malum allaturus, Chriſtus Ieſus eſt Dei patris ęterni æternus filius, nulli mutationi in ſua diuinitate obnoxius, cui tu cũ omnibus è partibus inſidias tendas, aſtutè à diuina illa, quam negaſti generatione eius, ad humanam delaberis, & mutatum ais eſſe, cum homo fieret, ais enim impudens os: Nam ſi ipſe Deus filius, poſt æternã generationẽ homo factus eſt, in tempore profecto mutatus eſt, de non eſſe hominis ad ipſius eſſe, argutè ſanè, & è medulla philoſophiæ argutaris; quod certè telum tale eſſet, quòd iugulum peteret, ſi filius Dei ex eſſe diuino, in eſſe hominis mutatus eſſet, vt tuus Iupiter in bouem. Sed quoniã diuina natura immota manſit, dum humanitatem ſibi aſciſceret, tuum telum plumbeum eſt, quòd fuit filius Dei, permanſit, quod non erat aſſumpſit, fuit ab æterno DEVS, manet in æternum Deus, diuina eius natura integra manet, nullam diminutionem,

Filius Dei factus homo, nõ mutauit diuinitatem.

tionem, nullum augmentum, nullam alterationem admittit, Deus homo fieri voluit, noſtræque naturæ particeps quam aſſumpſit, ſibi indiſſolubili nodo coniunxit. Neque tua Francken natura mutatur, cum iam hanc, iam illam religionem tibi aſciſcis, idem ille canis qui vbique filio Dei oblatras, manes. Factus filius Dei homo, qui non erat, in tempore eo, quo angelus diuæ virgini partum eius nunciauit, ſed non ita factus, vt diuinitas in humanam naturam mutaretur, vt aquam in vinum mutatã ẽſſe legimus, ſed manente immota diuinitate, homo factus, & qui tantum Deus fuit, eſt & Deus qui erat, & homo qui nõ erat, qđ & tu etiã ipſe, etſi pudoris nihil habeas, negare non es auſus: Fateris enim ſubſtantiam diuinam integram aſſumpta humanitate manſiſſe: Et propterea vt tua ratiocinatio integra maneat, occurrens nobis dicis, nec quidquam eos iuuat, quod ipſa diuinitas non ſit mutata in carnem, vel ſubſtantiam humanã, quam tuam occupationem ſimilitudine

Arguta mẽdacia Franckẽ.

dine materiæ obfirmare conaris, quę etiam ipſa forma accepta, mutari dicitur ex non eſſe ad eſſe. Scio quidem ipſam materiam induere formam, & quæ informis eſſet, priuatione exuta conformari; & non materiam amplius, ſed rem cuius formam induat vocari. Dico tamen tuas iſtas argutias, naturam verbi diuini immutare non poſſe, quod materiæ expers eſt, aſciuit ſibi humanam carnem, & eam induit; non tamen mutationem vllam admiſit, integram & inuiolatam, & in ea quam habet cum patre communem ſubſtantiam retinet in ſua hypoſtaſi: Et vide nequitiam tuam, integram aſſumpta carne manere diuinitatem fateris; mox tamen hypoſtaſim verbi filij Dei verè mutatam eſſe in hominem, recepta humanitate infers, ita tu callidiſſime ſerpens illudis hominibus, & quod conceſſeris improbas: Aſſumptio illa humanitatis, non euacuat diuinitatis ſubſtãtiam, quæ integra manet, id factus eſt filius Dei quod non erat, id quod ab initio eſt permanet: Aufer quæſo iſtas

tuas

tuas Phyſicas mutationes; nec frigidis nec calidis mouemur tuis, garrias quam tu velis, vel ad ipſam rauim

maiorem mutationem ais verbi diuini, quod caro factum eſt, quam frigidi in calidum: Maior certè & omnem rationem excedens eſt, diuina hic terrenis, ſumma imis miſcentur, qui eſt Deus æternus, omnipotens & Dominus, patri ęqualis? Fit homo fit ſeruus forma ſerui accepta, ſe exinaniuit filius Dei: qui quamuis ſeruus ſit, Dominus eſt tamen, omnia quæ ſunt, eius ſunt, data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Sed de mutatione verbi ſatis tecum luctati ſumus, ſatis tuis argutis nugis reſpondimus, manet integrum verbum Dei, & manet in æternum, idem Chriſtus & homo verus eſt, & DEVS verus in vna eademque perſona & hypoſtaſi, nec diuinitate in carnem mutata nec carne in diuinitatem, vtraq; natura integra manet, vtriuſq; tamē coniunctio, vnam hypoſtaſim & vnum Chriſtum reddit; quocunq; tu nomi-

nomine cõiunctionem hanc voces, Chriſti nec diuinitati quę integra manet, nec humanitati quicquam detrahes. Sit ſanè aſſumptio humanitatis, & copulatio verbi Dei cum carne, tibi mutatio, nihil tamen ſecundum leges tuas Phyſicas efficitur, immota manet diuinitas verbi, quæ omnes naturas, omnem intellectum, omnem ſapientiam excedit. Et propterea Eccleſia ſancta, & Catholica, nullis legibus naturæ generationem hãc diuinam ſubijcere voluit, intellectum ſuum captiuum reddidit, inquirere in Maieſtatem diuinam noluit: non ignorans eos, qui in eam inquirunt, ab æterno illo, & inaſpectabili lumine obrui, fide ſola hæc arcana cognoſci docuit ipſa veritas, teſtimoniis diuinis & ſacræ ſcripturæ, credentes, vnum Deum in ſubſtantia, trinũ in perſonis confitemur: Fide generationem verbi DEI, & proceſſionem Spiritus ſancti à patre & filio apprehendimus, intellectum noſtrum mentemque noſtram alta ſaperc *Fides intellectũ captiuũ reddit.*

con-

contendentem, vt mancipium fidei cathena vinctum, Chriſto veritatem docenti in obſequium tradimus, tibi tua iſta nimium perſpicax cœcitas integra & libera maneat: habeãt cœci magiſtrum cœcum; noſter Magiſter eſt Chriſtus Ieſus, λόγος Deus genitus, æternus, & omnipotens, & principium à patre principio, ab æterno genitus ex ſubſtantia patris, æqualis DEO patri ſecundum diuinitatem, minor ſecundum humanitatem, cui vtriq; parem & æqualem Deum, Spiritum ſanctum à patre & filio procedentem confitemur, quod tu improbũ caput auſus es inficiari, & vel hoc nomine idololatriæ Eccleſiã Catholicam, ſanctam, Romanam accuſare, quod Spiritum ſanctum Deum eſſe confiteatur, quod tu ſecundum Critirion confictæ Trinitatis eſſe mentiris: Alterũ, inquis, cõfictę Trinitatis inſigne indicium eſt, quod cum idololatræ nondũ contenti duabus diuinis perſonis, tertiã quoq; adijcere vellent, quæ ſpiritus ſanctus vocaretur, idololatræ tibi ſceleratum caput videmur,

Cur idololatras nos vocat Franckẽ.

demur, qui trinum DEVM adoramus, qui vt patrem ita filium & ſpiritum ſanctum Deum veneramur; fictus tibi filius λόγος Deus genitus vt clamas, fictus tibi Spiritus ſanctus videtur, at veritas ipſa tres diuinas perſonas eſſe docet, patrem, filium, & Spiritum ſanctum, in quorum nomine nos ablui, & remiſſionem peccatorum accipere iubet; tres eſſe in cœlo, qui teſtimonium dant, profitetur Ioannes, patrem, verbum, & Spiritum ſanctum; plena eſt ſcriptura horum nominum, infinita teſtimonia diuina nobis ad hoc demonſtrandum, tuumq; mendacium luce Solis ſplendidius obterendum, occurrunt; at tu tamen exuto omni pudore clamas, nullum extare aut locũ in Biblijs de diuinitate Spiritus ſancti aut apertum teſtimonium, ꝙ quã impudenter contendas, audi, quanquam non ſcripturarum, & teſtimoniorum argumentis tecum agendũ nobis ſit, ſed potius fuſtibus impudentiam tuam coercendam eſſe, & tantam tamq; apertam blaſphemi- *Impudens mendacium.*

am in Spiritum ſanctum, in quē qui peccat, neq; hic, neq; in fururo iudicio veniam ſuę impietatis, & blaſphemiæ impetrare vnquam queat, ignibus abolendam: tamen vt quantum hominib⁹ noſtris, quos ne homines quidem æſtimes, qui tā apertè apud eos mentiaris illudas, productis apertis teſtimonijs ſcripturæ diuinit⁹ inſpiratæ demonſtrabimus, teque dyris ignibusque, quos tibi in Gallia & vniuerſa Germania incenſos effugiſti, & ambuſtam tuam impudentiā in hoc regnum intuliſti, deuouebimus. Nullum igitur ais extare in totis Biblijs de diuinitate Spiritus ſancti apertū teſtimonium, Apud quos quæſo hæc dicis? quis tam eſt rudis ſcripturæ ſacræ, quis adeo agreſtis, qui te impudenter mentiri non agnoſcat? Etſi enim non omnes ſacra Biblia legant, omnes tamen qui nomine Chriſtiano cenſentur, hæc prima elementa, ſine quibus ſalus & vita æterna haberi non poſſit, ab ipſa infantia audiunt, vt primum fari cœperint infantes, docentur eo

Teſtimonia ſcripturæ de diuinitate ſpiritus ſancti.

tur eo

tur eo modo, quem CHRISTVS Apoſtolis poſtulantibus demonſtrauit orare, vt & patrem DEVM in cœlis eſſe, & ab eo omnia dependere ſciant; & in ſe nomen ſuum ſanctificari poſtulent, ſeque eius regnum effici, & eius voluntatem in ſe vigere optent, ab eo cibum & corporis & animi expoſcant, & ab eo ſuam vitam dependere fateantur, & cum cognouerint DEVM patrem ſuum in cœlis eſſe, & ſolum, & verum Deum eſſe, à quo & vitam & victum capiant, docentur ſtatim myſteria Trinitatis, quæ tu poſt conditum mundum monſtrum quo nõ aliud monſtroſius natum, non ſolùm negas, ſed etiam toto conatu impugnas, omnem diuinitatis rationem euerſurus, omnem memoriam Dei ex animis hominum aboliturus, vt ſoli ſathanæ viuas: hæc inquam myſteria diuina, quæ tu negas, docentur pueri, qui totam rationem fidei ex ore parentum hauriunt, à quibus vnum & verum DEVM eſſe, omnium quæ ſunt Dominum

Improba mẽs Franken.

minum & conditorem, patremq́; ſuum in cœlis habitantem, & omnia nobis largientem, edocti crediderint, altius progreſſi Trinitatem vnitatis explicant, & quomodo ipſi credant, ſuis illis pignoribus oſtentant, pectoribusq́ue illorum tenus fidem illam ſuam orthodoxam inſtillant, dicentes, credo in Deum, vt puer audiens Deum ſingulari voce proferri, vnum Deum eſſe ſciat, qui vnus ſit in ſua ſubſtantia, ſed quoniam veritas diuina, non ſolum in ſubſtantia, ſed etiam in ratione perſonarum quę proprietatib' diſtinguuntur, cõſiſtat cum, dixerint, Credo in Deum, ſubdunt patrem omnipotentē, creatorem cœli & terræ, primā perſonā in diuinis, quæ ſit, & quam potēs ſit, & quæ omnium rerum cauſa, fons & principium absque principio ſit explicantes, ac infantiæ illi inculcantes, cui mox ſecundam perſonam addunt, dicentes: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, dominum noſtrum, quód idem eſt, ac ſi dicant. Credo in Deum Ieſum Chriſtum, filium

Trinitatis explicatio in ſymbolo Apoſtolorum.

lium Dei patris vnicum, quem ille ab æterno & ante luciferum, ex vtero ſuo, & ſubſtantia ſua genuit, & æternum generat, qui Deus eſt patri in omnibus par & æqualis, cuius ſecundæ perſonæ, proprietatibus ſuis, à perſona patris diſtinctæ, ortum eũ, qui eſt ſecundum carnem, à diuinitate aſſumptam, & ei vnitam, demõſtrãt, dicentes, conceptum, nõ quouis, nec iſto noſtro modo, ſed de Spiritu ſancto oĩa in vtero virginis, ſacræ myſteria conceptionis eius operante, è virgine de qua veram carnẽ aſſumpſerit, non aliunde, vt impietas veſtra mentitur, attulerit, ſed in ea venerit, quæ in vtero virginis nata ſit, & propterea dicũt, non ſolùm conceptum è Spiritu ſancto, ſed etiã natum de Maria virgine, quę eius vera genitrix ſit, quæque Deum ſimul & hominem peperit, non quod diuina natura in ea tum primum nata, quæ à Deo patre ab æterno progenita eſt, ſed quod tum deſcendiſſet, in vterum virginis, carnem humanam aſſumpſerit, cum qua vna è virgine

natus eſt, & quod ante nō fuiſſet, factus, in qua carne paſſus quod, verū hominem fuiſſe demonſtrat, crucifixum, mortuum, ſepultum, reſurrexiſſe, in cœlū aſcendiſſe, ſedere ad dexteram Dei patris ſui, cui diuinitate, cui poteſtate, gloria, æternitate, par eſt, & ſubſtantia idem Deus proprietatibus, concipiendi naſcendi, patiendi, crucifigendi, moriendi, ſepeliendi, ad inferos deſcendendi, reſurgendi, in cœlos aſcendendi, in futurum iudicium veniendi diſtinctum, & ipſi ſe credere profitentur, & pueros illos ſuos credere docent: hanc enim perſonam eius quam à patre diſtinctam habet, ſequuntur, maximè verò propriam vnionem humanitatis & carnis aſſumptionem, quo quidem filio Dei CHRISTO IESV, & Deo, & homine eſſe demonſtrato, officiis eius explicatis, ſtatim tertia perſona, quæ & ipſa idem Deus ſit cum patre & filio & ſpiritu ſancto, Spiritus ſanctus demonſtratur, ac ita dicitur, & in Spiritum ſanctum, ſubaudito illo verbo,

bo, Credo in Deum ſpiritum ſanctū, ita enim hęc ab Apoſtolis dicta, vt & vnum Deū in ſubſtantia eſſe doceāt, & trinū in perſonis, credo inquiūt in Deū, in quē Deū, ſi quæras, reſpōdēt, in Deū patrē, in Denm filium, in Deum Spiritum ſanctum, qui tres vnus & idem Deus ſunt, vnus eſt DEVS patet, vnus DEVS Filius, vnus DEVS Spiritus ſanctus, qui tres vnus DEVS ſunt in ſubſtantia, quæ de tribus perſonis patre, filio & Spiritu ſancto prædicatur, & æqua lance omnibus tribuitur vt communis natura, quam doctrinam cū homines cum ipſo lacte matrum ſugant, & Spiritum ſanctum ab infantia Deum eſſe verū, patri & filio æqualē, & conſubſtantialem vt pote qui è ſubſtantia patris & filij procedat, perſuaſū habent. Qđ cū ita ſit, tu tamen impudentiſſimū os, audes apud eos affirmare, ſpiritū ſanctū, nō ſolū Deū nō eſſe, ſed neq; eſſe, merū figmentū idololatrarum eſſe, noſque nullum teſtimonium ex ſacris litteris, quo diuinitas ſpiritus ſancti apertè de- *Impudentia Francken.*

diuinitas Spiritus ſancti apertè demonſtretur, proferre poſſe aſſeueras quod qua conſcientia, & qua fide dicas, iam audi: non fore autem te tam impudentem puto, vt Iſaiam à ſacris litteris ſeiungas: ſi enim prophetarũ vaticinia ſacra Biblia tibi non ſunt,
Eſa. 6. equidem neſcio, quid tibi ſacrum erit? Sed audi Eſaiam apertiſſime Spiritum ſanctum Deum confitentem, Audiui (inquit Eſaias) vocem Domini, ſiue Iehoue dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis, & dixit, Ecce ego, mitte me, & dixit vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionẽ & nolite cognoſcere, excœca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat & conuertatur, & ſanẽ eum. Audiuiſti vir verecunde, quid dominus Deus, quem Hæbrei Iehouam vocant, dixerit, quam legationem ad populum ſuũ Eſaiam perferre iuſſerit, quod munus, illum, apud populum ſe derelin-

linquentem obire voluerit, omnem vim intelligendi, omnem rationem voluntatis ſuę, & calamitatum earũ, quæ ſceleribus, & improbitati populi eius, Dei ſui deſertoris imminerẽt cognoſcendæ, ereptam eis, nunciari iubet, vt auribus quidem audirent, nil tamen eorum, quæ audirent, intelligere poſſent; oculis viderent, nil tamen viderent, nil corde intelligerent: Cum enim obſcuratum malitia cor eorum eſſet, lumen veritatis non admiſit, ſcientes; videntes, prudentes peribant: Et verba, & ſententiam Dei, ad Eſaiam loquentis audiuiſti, negare non poteris, Deum hæc ad Eſaiam locutum; quamuis eadem cæcitate, & oculorum & cordis, qua illi labores, nec quæ te ſupplicia hominem in Deum blaſphemum maneant, quæ dyræ capiti tuo impendeant, intelligas: ſed ad Dominum loquentem ad Eſaiã redeamus, & quis ſit ille Iehoua, qui tam triſtia Eſaiam populo nunciare præcipiat, inquiramus, nõ iam à patrib⁹ quos tu Idololatras, & Spiritus ſancti artifices vo-

caſ.ſed quæramus certiores interpretes,& qui eodē ſpiritu, quo prophetæ inſpirati locuti ſunt, pleni: hæc domini verba nobis exponant,equidem Apoſtolos nemo eſt qui nō fateatur,ſpiritu ſancto repletos, locutos eſſe, teſtantur hoc clariſſimè ſacrá Biblia,niſi tu pro tua impudentia, nouum teſtamentum, & doctrinam Apoſtolicam à ſacris Biblijs amoueas: quod equidem non dubito,nil tibi à Chriſto profectum placere poteſt,qui Chriſtum ipſum, cane peius & angue oderis, qui illum,& diuinitate illa hæreditaria, & officio legationis à patre illi demandato, mediationisque inter nos, & Deum patrem expolies,tamen quomodo Apoſtoli locum Eſaiæ interpretentur,& quem Iehouam locutū ad Eſaiam teſtentur, videamus, audiamusque ipſum vas electum Paulum, non credentes Iudæos increpantem, & cœcitatis a b Eſaia prædi-
Actor.28. ctæ damnantem, cum inquit Lucas inuicem non eſſent conſentientes diſcedebant, dicente vnum ver-
bum

bum Paulo, quia bene ſpiritus ſanct⁹ locutus eſt per Eſaiam Prophetā ad patres noſtros dicens, vade ad populum iſtum, dic ad eos aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis: incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos: Hæc eſt Pauli verborum Domini DEI ad Eſaiam loquentis interpretatio. Narrat Eſaias locutum ad ſe dominum, qui Iehoua eſt, recenſetq́; eius de cœcitate Iudęorum verba, quæ Paulus vas electum Dei, & templum Spiritus ſancti à Spiritu ſancto dicta eſſe diſertè teſtatur, & Iehouam eum qui ad Eſaiā loquebatur, ſpiritū ſanctū fuiſſe docet, bene inqr de vobis ſpiritus ſanct⁹ dixit, nō ſimpliciter dixit domin⁹ vt Eſaias, ſed q ſit ille domin⁹, cōmunis.n. omniū perſonarū notio eſt dominus, q̄ igitur pſona & Hypoſtaſis in qua Iehoua ad Eſaiā loquebatur,

fuc-

fuerit, explicat, Spiritum ſanctũ dominum Deum illum eſſe, qui locut⁹ ad Eſaiam, demonſtrans vt & hypoſtaſim à patris & filij, & ſpiritus ſancti diſtinctam eſſe, & Deum eſſe doceat, noſq; ſua autoritate, aduerſus mendacia tua muniat, & quod tuæ impudentiæ obijcere debeamus oſtendat: Non ignorabat Spiritus ſanctus, qui ad Eſaiam loquebatur, te & tui ſimiles canes, in diuinitatem ſuam latraturos, ſuppeditauit nobis per Paulum fuſtes, quibus dentes veſtri frangerentur, ſe ipſum Iehouam eſſe, qui eſt Deus benedictus, loquens in Paulo, nos docuit. Non humana eſt hæc interpretatio vocis, dominus qui ad Eſaiam loquebatur, non noſtrum figmentum, ſed eius ipſius Dei, qui Spiritus ſanctus eſt, quo inſpirati prophetæ locuti ſunt, cuius vt Prophetia ipſa, ita & interpretatio eius propria eſt, vt Petrus eodem Spiritu plenus teſtatur: Non homo igitur Spiritum ſanctum Deum eſſe, teſtatum nobis reliquit, ſed ipſemet Deus, ipſe dominus, ipſe Spiritus ſanct⁹

Paulus ſpiritum ſanctum Deum eſſe teſtatur: Francken negat, vide cui credendum.

2. Pet. 1.

qui

qui per os Pauli Iudæorum incredulitatẽ damnauit, cœcosq́; eſſe iuſſit, & ſententiã ꝑpetui erroris in eos ꝓnunciauit, & hæc quidem Pauli verborũ Eſaiæ interpretatio eſt quæ vereor, ne apud te tanti ingenij & tantæ perſpicacitatis virum, qui ſolus veras religiones videas, parum autoritatis habeat, vtpote minimi & abortiui: Vt ille de ſe ait, Apoſtoli ꝓinde, audi quid princeps ille Apoſtolorũ dicat Petrus, niſi & hunc Chriſti, cui bellum intuliſti diſcipulum contemnas: ſed audi tamen quod ille de Spiritu ſancto ſenſerit, quẽ eſſe cum Ananiæ & Saphiræ mendaciũ puniret, teſtat⁹ eſt. Cur inqt Anania tẽtauit Sathanas cor tuũ mentiri te ſpiritui ſancto, nõ es mentitus hominib⁹, ſed Deo; audiuiſtíne, dixiſſe Petrum, Spiritui ſancto mentitum Ananiam, cùm parte pecuniæ ex agro vendito coactę clam ſe poſita, totã ſe Apoſtolis reddere diceret? quam fraudẽ eius ſpiritus ſanctus qui in Petro habitaret, vidit, Petroq́ue in quo loquebatur demonſtrauit, vidit aũt arcana il-

1. Cor. 15.

Act. 5.

la Ana-

illa Ananiæ & Saphiræ conſilia & fraudem ſe poſitæ pecuniæ, vt verus Deus, & propterea Petrus ait, non hominibus mentitus es, ſed Deo quē ſcis nihil latere poſſe, qui corda hominum, & cogitationes ſcrutatur, & videt, quem nullum arcanum latet: quam autem ſit periculoſum mentiri Deo mox Petrus ſupplicio mortis, & Ananiæ & Saphiræ vxori ſuæ mendacij conſciæ vno verbo irrogato docuit, & Spiritum ſanctum verum Deum, qui vt neminē fallit, ita falli nunquam poteſte, ſſe demōſtrauit quem cum ſpiritum primo loco dixiſſet, mox Deū eſſe teſtatur, vt ſit nō hominib. ſed ſpiritui ſancto, q eſt Deus benedictus, qui omnia arcana videt, qui corda ſcrutatur, quē nullū ſecretū latet, mentitus es: Hæc enim omnia quæ diximus, propria ſunt ſolius Dei, inde Chriſtus ſuā diuinitatē probabat, quod cogitationes Phariſæorum in cordibus concluſas & latentes videret, & tanq̄ ſi in luce poſitæ eſſent eis reſpōderet, inde eius diuinitatē multi agnoſcebant, & mirabantur

Pſal. 7. *Hier 17.* *Ad Rom.* 8. *1. Cor. 2.*

bātur, arcana illa, eū videre: quod cū ita ſit cum Spiritus ſanctus occulta videat, omnia ſcrutetur, falli nequeat, Deum neceſſario eſſe ſequitur qđ Petrus teſtatur, Deo inquiēs mentitus es, Spiritus igitur, & Spiritus domini Deus eſt, quicqd inquis in Deo eſt, Deus eſt, Spiritus ſanctus in Deo patre & filio eſt, vnde Spiritus domini dicitur. Nō ſolum igitur Petri, ſed & tua ipſius vir acute confeſſione Deus eſt, Sed ad Paulum redeamus, & quid de Spiritu ſancto alijs quoq; in locis ſentiat audiamus: An neſcitis inquit ſcribēs ad Corinthios, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, Attende quæſo, quid dicat, templū Dei Corinthios vocat: 1. Cor. 3.
Cur? quoniam Spiritus Sanctus habitat in eis. Templum .n. Dei, habitatio ꝓpria eſt, Spirit⁹ igitur ſanctus Deus eſt, cuius templū Corinthij ſint, templū Dei eſtis vos, ait Paulus, & q ſit ille Deus, cui⁹ tēplū ſint, ſtatim docet, ſpiritus ſanctus, dicēs, habitat in vobis, q eſt Deus, cui⁹ vos tēplū eſtis: & alio loco, an neſcitis, quoniā membra

1.Cor. 6. bra veſtra templum ſunt Spiritus ſan ꝿi,qui in vobis eſt, membra noſtra templum ſpiritus ſanꝿi eſſe, propterea ait,quia Spiritus ſanꝿus habitat in eis. Spiritus igitur ſanꝿus Deus eſt, cui membra noſtra conſecrata, templũ ſint, quæ Paulus ne prophanemus,ne vicijs violemus, hortatur nos,dicens:Glorificate igitur,& portate Deum in corpore veſtro, quem Deum Paule glorificemus, & portemus in corpore noſtro?Spiritum ſanꝿum inquit, qui habitat in vobis, qui eſt Deus viuus,cuius vos templũ eſtis,vos enim,inquit,eſtis templum Dei viui, quæ tota oratio Pauli,de Spiritu ſanꝿo eſt,illum in corpore noſtro eſſe,illum in nobis habitare, illum glorificari,& portari in cordibus noſtris præcepit; ita Paulus, & nos illius templum eſſe,& Deum ipſum eſſe, diſertiſſimis verbis teſtatur, cui tu quàm impudenter reſiſtas,quam furenter in Spiritum ſanꝿum inuadas, quis non videt? ita tu

Francken. Impudentia pudorem exuiſti, ita frontem perfricuiſti,vt luce clariora neges, vt aperte men-

tè mentiaris: nullum, inquis, in ſacris Biblijs inueniri apertum teſtimonium de diuinitate Spiritus ſancti: infinita ſunt, impudentiſſimè mendax, quæ vt tibi referamus, indignus es, ſi his quæ apertè Spiritum ſanctum deum appellant, quæ pauca produximus, non credis, neq; alijs quæ idem teſtãtur credes: neque tu ignoras Spiritum ſanctum in ſacris Biblijs & vocari, & eſſe Deum verum, ſed pro tua nequitia veritati apertè aduerſaris, non vt vnum Deum eſſe, ſed vt nullum eſſe doceas. Hæc tua eſt illa, quã nemo vidit vera religio, nullum Deum eſſe, hic ſcopus doctrinæ tuæ, tu es ille inſipiens, qui dixit, nõ eſt Deus. Cum idololatræ, inquit Francken, nõ contenti duabus diuinis perſonis, tertiam quoq; adijcere vellent, quę ſpiritus ſanctus vocaretur, non autem ignorarent, nullum extare in ſacris Biblijs de diuinitate Spiritus ſancti apertum teſtimonium, & cætera: Primum vide, quo numero apud hunc ſimus, qui Chriſtum Ieſum Saluatorem noſtrum profitemur, qui patrẽ,

Francken apertè veritati aduerſatur

Francken Atheus.

Pſalm. 13.

Contumelia qua afficimur à nebulone Francken.

& Filium, & Spiritum ſanctum, in ſubſtantia vnum, in perſonis trinum adoramus, non Chriſtiani, non veri Dei cultores, ſed idololatræ illi ſumus: idolon enim illi horrendum veneranda & tremenda Trinitas eſt. Equidem ſi non DEI optimi maximi, quam iam dudum contemnere didicimus, gloria nos mouet, noſtra iſta contumelia, & inſignis iniuria nos mouere deberet, quid vnquam in nos contumelioſius, quid maledicentiùs in hominem Chriſtum Ieſum, vnà cum patre Deo & Spiritu ſancto colentem, dici potuit? quàm quod iſte dicat? Sed
Inuerſum iudicium. nos non modò non offendimur, ſed etiam hominis ingenium & acumen, qui hæc videat admiramur, laudamus, præmijs ornamus, domum vocamus, ſcholas illi non impudentiæ, quas Craſſus cenſor idololatra quondam in ſua Republica claudere iuſſerat, ſed impietatis & blaſphemiæ aperimus, nulli qui aliquid

liquid hominis in ſe eſſe ſentiat ferendas. O miſerum Regnum, ô perditos mores, ô inſaniam mobilem, idololatram te à ſcelerato homine vocari; DEVM tuum creatorem; à quo tot tantaque bona aſſiduè haurias: idolon horrendum dici audis, nullo tamen ſenſu commoueris? nihil ad te tam inſignem in DEVM blaſphemiam attinere cogitas, & tua authoritate ſcelus tantum tam inſani & perditi hominis confirmas, armaque illius impietati aduerſus Deum tuum, vireſque ſufficis? Sed hæc nequicquam querimur: Audi quò Francken tendat, non contenti duas perſonas diuinas finxiſſe, Patris & Filij, tertiam etiam, quæ Spiritus ſanctus diceretur, fingunt; Quis feret tam impudens, tam clarum mendacium? Nóſne hæc fingimus? nónne palàm Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritum ſanctum, vnum verum ſolum, æternum Deum, omnia in omnibus operantẽ, *Deploratiō temporum.*

 à con-

à condito mundo omnes & eſſe ſciāt & confiteantur, & iſte à nobis Romanis multitudini Deorum aſſuetis cōfictam Trinitatem eſſe mentitur, & hominibúsne, an verò ſtipitibus dicam, apertè illudit, figmētum idololatrarum tres perſonas diuinas eſſe clamat. ô præclara ingenia iſtorum, qui illi ſcholæ in ſuis vinculis poteſtatem habēdæ faciunt, qui liberos ſuos omni impietatis genere, & ſcelerū cōformandos iſti tradunt, ô craſſa ingenia, ô perditam nequitiam. Equidem iſti ſunt, qui audientes non intelligunt, videntes nihil vident, in ſenſum reprobum dati, & quorum cor inſipiens, malitia obſcuratum; nullum, inquit ſpiritus ſancti iſte hoſtis, teſtimonium apertum ſacræ ſcripturæ de diuinitate Spiritus ſancti eſſe ait; quod quoniam impudenter à ſe dictum videat, nihil hic moratur, & tāquam canis hauſta ſemel aqua ripam tranſcurrit, alio mendacio impudentiam ſuam cumulat, non ſolum, inquit ſacra ſcriptura: Spiritus ſancti diuinitatem non admittit, ſed etiam vnige-

Dementati à Franckenqui ſunt,

Francken hoſtis ſpiritus ſancti.

Franckenſcelus ſcelere cumulat.

vnigenitum filium Dei, in fraternam ſocietatem, nullum alium admittere deum, ſed prorſus excludere clamat, & mendacium mendacio exornat; teſtimonia aperta diuinitatis Spiritus ſancti produximus, infinita, ſi tuæ inſaniæ mederi poſſe nos videremus, producturi, quæ tum Patres ſancti aduerſus hæreticos veteres produxerunt, & noui tum Catholici, tum Euangelici producunt. expertus es in ſchola Caluini, quā firma p̄ſidia aduerſus te, & tuos tibiq́; ſimiles canes parata illi habeant: tremendā & venerandam Trinitatem in ea ſchola, quā nunc idolon eſſe clamas, vocare ſolebas, nihil in ea ſchola, quam Valentini Gentilis cineribus aſperſam videbas, aduerſus Trinitatem auſus es, vnde niſi effugiſſes, funibus potius vinctus, quàm argumentis & teſtimonijs ſcripturæ victus, pœnas tua impietate dignas dediſſes, impudentis hominis eſt, negare quæ vel vno verbo refelli, & teſtimonio vno ſtatim probari poſſunt, produximus aperta teſtimonia, tuoque mendacio oppo-

cas.ſed quæramus certiores interpretes,& qui eodē ſpiritu, quo prophetæ inſpirati locuti ſunt, pleni: hæc domini verba nobis exponant,equidem Apoſtolos nemo eſt qui nō fateatur ſpiritu ſancto repletos, locutos eſſe, teſtantur hoc clariſſimè ſacra Biblia,niſi tu pro tua impudentia, nouum teſtamentum, & doctrinam Apoſtolicam à ſacris Biblijs amoueas: quod equidem non dubito,nil tibi à Chriſto profectum placere poteſt,qui Chriſtum ipſum, cane peius & angue oderis, qui illum,& diuinitate illa hæreditaria, & officio legationis à patre illi demandato, mediationiſque inter nos, & Deum patrem expolies,tamen quomodo Apoſtoli locum Eſaiæ interpretentur,& quem Iehouam locutū ad Eſaiam teſtentur, videamus, audiamuſque ipſum vas electum Paulum, non credentes Iudæos increpantem, & cœcitatis a b Eſaia prædi-
Actor.28. ctæ damnantem, cum inquit Lucas inuicem non eſſent conſentientes diſcedebant, dicente vnum ver-
bum

bum Paulo, quia bene ſpiritus ſanct⁹ locutus eſt per Eſaiam Prophetã ad patres noſtros dicens, vade ad populum iſtum, dic ad eos aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis: incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos: Hæc eſt Pauli verborum Domini DEI ad Eſaiam loquentis interpretatio. Narrat Eſaias locutum ad ſe dominum, qui Iehoua eſt, recenſetq́; eius de cœcitate Iudæorum verba, quæ Paulus vas electum Dei, & templum Spiritus ſancti à Spiritu ſancto dicta eſſe diſertè teſtatur, & Iehouam eum qui ad Eſaiã loquebatur, ſpiritũ ſanctũ fuiſſe docet, bene inqr de vobis ſpiritus ſanct⁹ dixit, nõ ſimpliciter dixit domin⁹ vt Eſaias, ſed q ſit ille domin⁹, cõmunis.n. omniũ perſonarũ notio eſt dominus, q̃ igitur pſona & Hypoſtaſis in qua Iehoua ad Eſaiã loquebatur,

ſuc-

fuerit, explicat, Spiritum ſanctũ dominum Deum illum eſſe, qui locut⁹ ad Eſaiam, demonſtrans vt & hypoſtaſim à patris & filij, & ſpiritus ſancti diſtinctam eſſe, & Deum eſſe doceat, noſq; ſua autoritate, aduerſus mendacia tua muniat & quod tuæ impudentiæ obijcere debeamus oſtendat: Non ignorabat Spiritus ſanctus, qui ad Eſaiam loquebatur, te & tui ſimiles canes, in diuinitatem ſuam latraturos, ſuppeditauit nobis per Paulum fuſtes, quibus dentes veſtri frangerentur, ſe ipſum Iehouam eſſe, qui eſt Deus benedictus, loquens in Paulo, nos docuit. Non humana eſt hæc interpretatio vocis, dominus qui ad Eſaiam loquebatur, non noſtrum figmentum, ſed eius ipſius Dei, qui Spiritus ſanctus eſt, quo inſpirati prophetæ locuti ſunt, cuius vt Prophetia ipſa, ita & interpretatio eius propria eſt, vt Petrus eodem Spiritu plenus teſtatur: Non homo igitur Spiritum ſanctum Deum eſſe, teſtatum nobis reliquit, ſed ipſemet Deus, ipſe dominus, ipſe Spiritus ſanct⁹

Paulus ſpiritum ſanctum Deum eſſe teſtatur: Francken negat, vide cui credendum.

2. Pet. 1.

qui

qui per os Pauli Iudęorum incredulitatē damnauit, cœcosq́; eſſe iuſſit, & ſententiā ꝑpetui erroris in eos ꝓnunciauit, & hæc quidem Pauli verborū Eſaiæ interpretatio eſt quæ vereor, ne apud te tanti ingenij & tantæ perſpicacitatis virum, qui ſolus veras religiones videas, parum autoritatis habeat, vtpote minimi & abortiui: Vt ille de ſe ait, Apoſtoli ꝓinde, audi quid princeps ille Apoſtolorū dicat Petrus, niſi & hunc Chriſti, cui bellum intuliſti diſcipulum contemnas: ſed audi tamen quod ille de Spiritu ſancto ſenſerit, quē eſſe cum Ananiæ & Saphiræ mendaciū puniret, teſtat9 eſt. Cur inqt Anania tētauit Sathanas cor tuū mentiri te ſpiritui ſancto, nō es mentitus hominib9, ſed Deo; audiuiſtíne, dixiſſe Petrum, Spiritui ſancto mentitum Ananiam, cùm parte pecuniæ ex agro vendito coactę clam ſe poſita, totā ſe Apoſtolis reddere diceret? quam fraudē eius ſpiritus ſanctus qui in Petro habitaret, vidit, Petroque in quo loquebatur demonſtrauit, vidit aūt arcana illa Ana-

1. Cor. 15.

Act. 5.

la Ana-

illa Ananiæ & Saphiræ conſilia & fraudem ſe poſitæ pecuniæ, vt verus Deus, & propterea Petrus ait, non hominibus mentitus es, ſed Deo quẽ ſcis nihil latere poſſe, qui corda hominum, & cogitationes ſcrutatur, & videt, quem nullum arcanum latet: quam autem ſit periculoſum mentiri Deo mox Petrus ſupplicio mortis, & Ananiæ & Saphiræ vxori ſuæ, mendacij conſciæ vno verbo irrogato docuit, & Spiritum ſanctum verum Deum, qui vt neminẽ fallit, ita falli nunquam poteſte, ſic demõſtrauit, quem cum ſpiritum primo loco dixiſſet, mox Deũ eſſe teſtatur, vt ſit nõ hominib. ſed ſpiritui ſancto, q eſt Deus benedictus, qui omnia arcana videt, qui corda ſcrutatur, quẽ nullũ ſecretũ latet, mentitus es: Hæc enim omnia quæ diximus, propria ſunt ſolius Dei, inde Chriſtus ſuã diuinitatẽ probabat, quod cogitationes Phariſęorum in cordibus concluſas & latentes videret, & tanq̃ ſi in luce poſitæ eſſent eis reſpõderet, inde eius diuinitatẽ multi agnoſcebant, & mirabantur

Pſal. 7.
Hier 17.
Ad Rom. 8.
1. Cor. 2.

bãtur, arcana illa, cũ videre: quod cũ ita ſit cum Spiritus ſanctus occulta videat, omnia ſcrutetur, falli nequeat, Deum neceſſario eſſe ſequitur qđ Petrus teſtatur, Deo inquiẽs mentitus es, Spiritus igitur, & Spiritus domini Deus eſt, quicqd inquis in Deo eſt, Deus eſt, Spiritus ſanctus in Deo patre & filio eſt, vnde Spiritus domini dicitur. Nõ ſolum igitur Petri, ſed & tua ipſius vir acute confeſſione Deus eſt. Sed ad Paulum redeamus, & quid de Spiritu ſancto alijs quoq; in locis ſentiat audiamus: An neſcitis inquit ſcribẽs ad Corinthios, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, Attende quæſo, quid dicat, templũ Dei Corinthios vocat: *1. Cor. 3.* Cur? quoniam Spiritus Sanctus habitat in eis. Templum. n. Dei, habitatio ꝓpria eſt, Spirit⁹ igitur ſanctus Deus eſt, cuius templũ Corinthij ſint, templũ Dei eſtis vos, ait Paulus, & ꝗ ſit ille Deus, cui⁹ tẽplũ ſint, ſtatim docet, ſpiritus ſanctus, dicẽs, habitat in vobis, ꝗ eſt Deus, cui⁹ vos tẽplũ eſtis: & alio loco, an neſcitis, quoniã membra

bra

1. Cor. 6. bra veſtra templum ſunt Spiritus ſan
cti, qui in vobis eſt, membra noſtra
templum ſpiritus ſancti eſſe, propte-
reà ait, quia Spiritus ſanctus habitat
in eis. Spiritus igitur ſanctus Deus
eſt, cui membra noſtra conſecrata,
templũ ſint, quæ Paulus ne propha-
nemus, ne vicijs violemus, hortatur
nos, dicens: Glorificate igitur, & por
tate Deum in corpore veſtro, quem
Deum Paule glorificemus, & porte-
mus in corpore noſtro? Spiritum ſan
ctum inquit, qui habitat in vobis,
qui eſt Deus viuus, cuius vos templũ
eſtis, vos enim, inquit, eſtis templum
Dei viui, quæ tota oratio Pauli, de
Spiritu ſancto eſt, illum in corpore
noſtro eſſe, illum in nobis habitare,
illum glorificari, & portari in cordi-
bus noſtris præcepit; ita Paulus, &
nos illius templum eſſe, & Deum ip-
ſum eſſe, diſertiſſimis verbis teſta-
tur, cui tu quàm impudenter re-
ſiſtas, quam furenter in Spiritum ſan
ctum inuadas, quis non videt? ita tu
Prancken. Impudentia pudorem exuiſti, ita frontem perfri-
cuiſti, vt luce clariora neges, vt aper-
te men-

tè mentiaris: nullum, inquis, in ſacris Biblijs inueniri apertum teſtimonium de diuinitate Spiritus ſancti: infinita ſunt, impudentiſſimè mendax, quæ vt tibi referamus, indignus es, ſi his quæ apertè Spiritum ſanctum deum appellant, quæ pauca produximus, non credis, neq; alijs quæ idem teſtãtur credes: neque tu ignoras Spiritum ſanctum in ſacris Biblijs & vocari, & eſſe Deum verum, ſed pro tua nequitia veritati apertè aduerſaris, non vt vnum Deum eſſe, ſed vt nullum eſſe doceas. Hæc tua eſt illa, quã nemo vidit vera religio, nullum Deum eſſe, hic ſcopus doctrinæ tuæ, tu es ille inſipiens, qui dixit, nõ eſt Deus Cum idololatrę, inquit Francken, nõ contenti duabus diuinis perſonis, tertiam quoq; adijcere vellent, quę ſpiritus ſanctus vocaretur, non autem ignorarent, nullum exſtare in ſacris Biblijs de diuinitate Spiritus ſancti apertum teſtimonium, & cætera: Primum vide, quo numero apud hunc ſimus, qui Chriſtum Ieſum Saluatorem noſtrum profitemur, qui patrẽ,

Francken apertè veritati aduerſatur

Francken Atheus.

Pſalm. 13.

Contumelia qua afficimur à nebulone Francken.

liquid hominis in ſe eſſe ſentiat ferendas. O miſerum Regnum, ô perditos mores, ô inſaniam mobilem, idololatram te à ſcelerato homine vocari; DEVM tuum creatorem; à quo tot tantaque bona aſſiduè haurias: idolon horrendum dici audis, nullo tamen ſenſu commoueris? nihil ad te tam inſignem in DEVM blaſphemiam attinere cogitas, & tua authoritate ſcelus tantum tam inſani & perditi hominis confirmas, armaque illius impietati aduerſus Deum tuum, vireſque ſufficis? Sed hæc nequicquam querimur: Audi quò Francken tendat, non contenti duas perſonas diuinas finxiſſe, Patris & Filij, tertiam etiam, quæ Spiritus ſanctus diceretur, fingunt; Quis feret tam impudens, tam clarum mendacium? Nóſne hæc fingimus? nónne palàm Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritum ſanctum, vnum verum ſolum, æternum Deum, omnia in omnibus operantẽ, *Deploratiõ temporum.*

vnigenitum filium Dei, in fraternam ſocietatem, nullum alium admittere deum, ſed prorſus excludere clamat, & mendacium mendacio exornat; teſtimonia aperta diuinitatis Spiritus ſancti produximus, infinita, ſi tuæ inſaniæ mederi poſſe nos videremus, producturi, quæ tum Patres ſancti ad uerſus hæreticos veteres produxerunt, & noui tum Catholici, tum Euangelici producunt. expertus es in ſchola Caluini, quã firma pſidia aduerſus te, & tuos tibiq; ſimiles canes parata illi habeant: tremendã & venerandam Trinitatem in ea ſchola, quã nunc idolon eſſe clamas, vocare ſolebas, nihil in ea ſchola, quam Valentini Gentilis cineribus aſperſam videbas, aduerſus Trinitatem auſus es, vnde niſi effugiſſes, funibus potius vinctus, quàm argumentis & teſtimonijs ſcripturæ victus, pœnas tua impietate dignas dediſſes, impudentis hominis eſt, negare quæ vel vno verbo refelli, & teſtimonio vno ſtatim probari poſſunt, produximus aperta teſtimonia, tuoque mendacio oppo-

ſuimus, quod etſi ab alijs iam antè factum fuiſſe ſcires, refellere tamen nō auſus fueris, ſed ad aliud mendacium ſtatim tranſieris, vt dicas Spiritus ſancti diuinitatem tertiam perſonam in diuinis, filium Dei non permittere conſtitui. Propterea quod ille vnigenitus ſit, quod in fraternam ſocietatem nullum admittat, nullos fratres habeat, cum ſit vnigenitus & ſolus Dei patris filius, vbi improbitatémne tuam ita apertam reprehendam, an tantam ſtultitiam rideam, haud ſcio, ſtulti hominis eſt dicere, quæ ſecum pugnent, & quæ negauerit, aſſeuerare; hoc enim eſt improbiſſimè & apertè mentiri: negas filium DEI eſſe, negas Deum patrem generare potuiſſe. Adimis illi filium, quod in toto illo tuo primo Critirio demonſtrare totis viribus contendiſti, nunc verò argumento vis eſſe Spiritum ſanctum non poſſe eſſe tertiam perſonam diuinam, propterea quod eum fratrem filij DEI oporteret eſſe, quæſo qui tu homo es? quem filium

Francken improbior an ſtultior ſit, incertum.

Dei

Dei negas eſſe, cum tertiam quam nos fingere mentiris perſonam Spiritus ſancti excludere à diuinitate aſſeris, ne in fraternam ſocietatem veniat, & cohæres illi apud Deum patrem ſit, ſi filius Dei, vt tu omnibus perſuadere contendis, non eſt, quomodo qui non eſt, ſpiritum ſanctum à diuinitate arcet, ſi arcet, certè eſt, ſi tu Deum blaſphemas, negare te eſſe, ne ſtultiſſimus quiſquam poterit, vides quàm tecum pugnes, quem non eſſe aſſerueras, eum non ſolùm eſſe, ſed etiam Spiritum ſanctum, ab hæreditate diuina arcere ais: ſi arcet, eſt: ſi non eſt, non arcet, qui aliquem agere quippiam concedet, concedat neceſſe eſt, eum eſſe, qui negat eſſe, neget neceſſe eſt & agere: aut igitur filium DEI eſſe concede, qui Spiritum ſanctum à diuinitatis poſſeſſione amoueat, aut eum quem non eſſe mentiris, ad tuam inſaniam tuendam non producas. Quid hæc ſibi volunt? non eſt filius Dei, non generat

Pugnat ſecū furore ſexcæcatus Francken.

Deus, verbum filius Dei vnigenitus, Spiritum ſanctum non admittit in fraternam ſocietatem, arcet eum ab hæreditate ſua diuina, idem eſſe & nō eſſe aſſeueras, idem ais & negas, quod qui facit, ex intimo cerebro inſanit, à pueris etiā in ludis ridetur, cachinnum tollent tui diſcipuli, cum te audierint pugnantia aſſerere, cum tu ip ſe doceas, alteram partem contradictionis veram eſſe oportere, alteram neceſſariò falſam eſſe, nunquam enim aientia & negantia ſimul aut vera aut falſa eſſe poſſunt. Pudeat te Francken ita apertè mentiri, qui ſi pudori quem exuiſti non conſulis, commodis tamen & lucro cui inhiās per omnes regiones decurris, omnes religiones excutis conſule, falſa apertè dicentem, & legibus Dialecticis aduerſantē tui te auditores relinquent, vacua in ſchola deſidebis, parietibus etiam tuam ſtultitiam cum improbitate ridentibus, diuinam perſonam Spiritum ſanctum, ὁμοούσιον quidem patri & filio ab vtroque productum, non tamen genitum finxiſſe nos ais,

noſ verò non finximus, ſed à Deo pa tre, & à filio eius verbo ęterno produ ctum, & emanantem agnoſcimus, & veneramur Deum verum & æternũ, patri Deo & filio conſubſtantialem credimus corde, & profitemur ore, & quanquam ab eodem principio, quod eſt ſine principio, Deo patre, v. na cum filio verbo æterno procedat, ſubſtantiamque ſuam ex eodem fon te quaſi hauriat, filium tamen eum non dicimus eſſe, ſed Spiritum ſan-ctum, qui à Deo patre, & filio ſpira-tur & procedit. Etſi enim vterque ex eodem Deo patre principio ſuo pro-cedant, procedendi tamen ratio vtri-usque alia & diuerſa eſt, ille procedit per generationem æternam; hic per ſpiratiõem, intellectu λόγος, vt tu nos fingere ais, à patre producitur volun tate ſpiritus ſanctus. Agnoſcimus quæ noſtra ſunt, quæ vera & immota eſſe, nec vllis mendacijs violari poſſe aſſeueramus: Nam, quod tu pro tua impudentia argumẽtum, & quidem bicorne, ad refellendam Spiritus ſan-cti à patre Deo proceſſionem adfers,

Differentia proceſſionis fi lij, & Spiri. tus ſancti à patre.

totum eſt nugatorium, cuius frontē impudentiſſimo mendacio commu- nieris: ais enim quam tamen commētitiam ſictamq; doctrinam communis totius ſacræ ſcripturæ, refellit con ſenſus & conſpiratio, in duplicem ſimilis ſubſtantiæ productionem, creationem & generatiōem: totum hoc Francken mendacium impudens eſt, totius ſcripturę conſenſum appellas, qui ſacris ſcripturis nihil tribuas, quę ſcriptura tibi vbique, & in filio generando, & in ſpiritu ſancto producendo aduerſatur, manifeſtè Chriſtus teſtatur, ſpiritum ſanctum tum àpatre, tū à ſe procedere, manifeſtè Prophetæ de Spiritu Domini locuti ſunt, dominum eum vocantes, quod non ab hominib. fingatur, ſed quod ab eo ipſo Domino noſtro procedat, ad noſque mittatur, per os Prophetarum loquatur, non ſacra ſcriptura, quæ à ſpiritu ſancto profecta eſt, aduerſus Spiritum ſanctum tecum coniurat; ſed furiæ illæ, quæ te ſerpentibus mēdaciorum armatæ inſequuntur, ac men-

Frons menda cij Francken qualis,

Furiæ Francken.

mentiri, blaſphemareq́; nomen ſanctum Domini cogunt. Duo genera ais eſſe ſimilis ſubſtantiæ producendæ creationem & generationem, & propterea Spiritum ſanctum, ſi eſt, oportere aut genitum eſſe aut creatum: Atqui inquis, creatum eſſe nolunt: fateri ergo debet genitum eſſe, & alterum filium. Duobus tu propoſitis modis producendæ ſimilis ſubſtantiæ, alterum infirmas, & tollis, vt alterum concludas; quod in his ſeruari ſolet, quæ per diuiſionem conficienda proponuntur. Agnoſcimus te legibus artis differendi hic parere, & eas vt ſanctas ſeruare, ſed in eo te verſutum & peruerſum eſſe, fraudemque in leges eas, quas ſeruare te videri velis, facere quis non videt; cum enim tria membra ad diſquiſitionem vocare debueris, triplicemque modum ſubſtantiæ producendæ ſtatuere, creationem, generatiōem, & proceſſionem, tertium membrū ſubſtuliſti, veritatem mutilaſti, duo tātum mēbra protuliſti. Oportebat te ita argumen-

Fraus Frãckenin ſignis.

gumentari: Tres ſunt modi ſimilis ſubſtantiæ producendæ, generatio, creatio, productio: Spiritum ſanctū non genitum, non creatum eſſe, igitur productum, quæ vera concluſio eſt, quam Catholica Eccleſia probat, ac vt veritatem immotam cōſeruat, quam tu impudentiſſimè ſophiſta ſuſtuleris, & fallendi illo genere aduerſus Spiritum ſpiritum, qui falli non poteſt cuique quàm ſit periculoſum mentiri, iam docui, abuſus es, quod diuiſionis eſſe, Magiſtri artis differendi vocant, quod inter cæteros modos, tum etiam fit, cum non integrè locus quiſpiam in quæſtionem ducitur, cum pars argumenti ſupprimitur, quod tu hic feciſti. Negamus igitur tuam iſtam mutilatam concluſionem, & claudam tuam aggreſſionē pede proterimus, nihilque è mutilata tua propoſitione te concludere, & tantum nugari pronunciamus, amolire igitur hinc te, cùm tuis ſophiſticis & fallacibus concluſiunculis, veritas hic agitur, certis & indubitatis, integris, non mancis agendum de re ſeria

ria argumentis eſt: Duplicem inquis rationem ſimilis ſubſtantiæ productionem ais eſſe, creationem, generationem, quo in loco bis mentiri tę non piguit: Primò, quod tertiam rationẽ, quæ eſt proceſſio ſuppreſſeris: Secundò, quod creationem ſimilis ſubſtantiæ productionem eſſe dicas, quęro.n. an tu Deo, à quo creatus es, ſimilis ſis, vtrúmne, tua ſubſtantia DEI creatoris ſubſtantiæ ſimillima eſt, ille ens optimum, ens primum, nullius egens, verax, immotum, à nullo dependens, vt te tuus Ariſtoteles docet: Tu verò ſceleratum caput, tu vanus, tu mendax, qui egeas, & è flã ma ipſa cibum petas, nuſquam conſiſtas, Tuáne iſta ratiocinatio, res creatas creatori exęquabit? & vel illas quę caducæ ſint, æternas & immotas reddet, vel creatorem ipſum ens primũ omni mutationi, vt res creatæ ſunt, ſubijciet. Aliud eſt genus ſubſtantiæ rerum, quę creatæ ſunt, aliud creatoris ipſius, creatos ſerpentes, vermes, culices, ſcimus, nihil cum diuina ſubſtantia, tamen illis commune eſſe videmus,

demus, tu ipſe, tuaque vanitas planè docet, per creationem ſimilem ſubſtantiam non produci, cum tu conditori tuo Deo, & verbo eius quo creatus es, non ſolum ſimilis non ſis, ſed etiam contrarius & mendax, quod autem per generationem ſimilem vis produci ſubſtantiam, rectè eſt; nolenti tibi veritas excidit; nolenti vt Caiphæ allapſa: homo hominem ſimilem ſibi generat, bos bouem, canis canem, ſimiles ſunt geniti generãtibus in ſpecie, vt Philoſophorum etiam ſcholæ docent, ſimilem igitur & eiuſdem ſubſtantiæ Deus Pater filium genuit, æternus, æternum genuit, quod tu paulò antè negabas, qui filium Dei aut nunquam genitum, & nullum eſſe, aut ſi genitus ſit, æternum non eſſe concludebas, & diſſimilem genitum genitori, contrà quàm nunc contendis, eſſe voluiſti. Hoc enim tu agis, vt cum nobiſcum pugnes, te ipſum tuis armis conuulneres, ac tibi ipſi, vt Iudas CHRISTI filij Dei proditor laqueũ inijcias, plenuſq; mendaciorum rumparis. Pudet

Suis armis Prancken conficitur.

det me, pudet tecum in certamen deſcendiſſe, piget me tempore & ocio in tuis nugis refellendis abuti, quæ ſua illa qua conficta ſunt vanitate diſſoluuntur, concludis Spiritum ſanctum, ſi à Deo patre procedat, filium neceſſariò eſſe, ad quam concluſionem, neſcio quid nugatorium affe-ras, aiſque productionis modum diuerſum, productorum diuerſitatem non adferre, & propterea, etſi ſpiritus ſanctus, alio modo quam filius à deo patre producatur, nō ſequi vt nō ſit filius; cum vterque ab vno & eodem producantur, patre Deo principio, quod quàm vanum ſit, vide, idem tu us pater te genuit, caput mundo deteſtādum; idem ſi cerdo eſt, calceum vel quoduis aliud opus arte ſua effi-ctum producit, quid, num nam calceus ille tui patris manibus effictus, etiam filius & homo vanus, atque tu ipſe es, erit? Procreat figulus liberos, fingit vaſa idem, & liberi & vaſa ab eodem figulo illo producuntur; igitur vt tu argutaris, nullum diſcrimen
inter

inter vaſa, & inter liberos figuli fuerit, & ſecundum te, qui nihil intereſſe ais, quomodo quippiam producatur, modò ab vno & eodem producatur, vt liberi & vaſa figuli filij erunt, abſurda ſunt hæc, ô Francken modus producendi diuerſus, diuerſitatem in rebus productis effecit ab vno deo patre, & filius; & Spiritus ſanctus procedit, non tamen perſona filij eſt eadem, quæ ſpiritus; nec ſpiritus quæ filij, quod filium generando, Spiritum ſanctum ſpirando producat, ab vno eodemque Deo, omnia per idem verbum facta ſunt, non tamen omnia idem ſunt, tāta rerum eſt varietas, tot diſcrimina, quæ nec capi quidem ſenſu queant, neque illud audio quod dicas, non tam diſtare productionem ſpiritus ſancti, à generatione filij, quā diſtet generatio hominis ab homine. Vanum enim eſt hoc quod dicis, vna ratio eſt generandi diuerſorum hominum, productio Spiritus, & generatio filij dinerſa ſunt. Faceſſe igitur cum tuis argumentis, nugiſque & fumo iſto ſophiſtarum, illud quoque quod

quod infers Si homo generet Deum non generare, nugatorium eſt, neq; quoniam diuerſa eſt generatio hominis & Dei, ſequitur, ſpiritum quoque generari à Deo oportere, & genitum dici. Eſt enim hoc genus conſequentię quod ille, in cuius religione & natus, & puer educatus es, vocare ſolebat: ab angulo ad baculũ degenerat: Deus Deum generat, homo hominem, diuerſa ratio eſt generationis diuinæ, à generatione hominis & naturæ, quæ diuerſitas ex diuerſitate generantium oritur: vt autem idem Deus diuerſo modo & filium, & Spiritum ſanctum generet, inde inferri non poteſt: nam & hominis generatio vniformis eſt, etiam in pluribus hominibus generandis: Dei productio, filij, & Spiritus ſancti diuerſa eſt, neque ſequeretur, ſi homo generaret diuerſa ratione; cum generare & hominem, & aſinum poſſe, & vtramq; hanc prolem eius vel hominem vel aſinum eſſe: Agendum enim tecum rudiſſimũ animal rudiùs eſt aſini tuo ſenſui admouendi, ſublimiora non capis Si in

quis Deus generat filium, poteſt non eadem ratione quidem gignendi, diuerſa tamen ſpiritum gignere: vna eſt diuinæ generationis ratio, vnus modus: Genuit Deus pater verbum ſuum, ſapientiam ſuam, qua omnia cõdidit, & gubernat, ſpirat verò ſpiritum ſanctum, quæ tamen ſpiratio, diuerſa eſt à generatione filij, & filius & ſpiritus ſanctus à patre procedit, communis eſt illis hęc appellatio: Proceſſi, inquit Chriſtus à patre, de ſeipſo loquens, & de Spiritu ſancto, qui à patre procedit, ſed huius proceſſionis diuerſa ratio eſt. Filius procedit per generationem, ex vtero, inquit Deus pater, genui te. At Spiritus ſanctus procedit per ſpirationem, & procedit non ſolùm à patre, ſed etiam à filio, quæ diuerſa ratio procedendi, diuerſum filij à Spiritu ſancto reddit ortum: neque generatio ſpiratio eſt, neque rurſum ſpiratio, generatio rectè diceretur: aliud eſt igitur generari filium, aliud ſpirari Spiritum ſanctum: neque inferri poteſt, quia filium

Ioan 8.
Ioan. 15.

um

um gignit ex vtero ſuo Deus pater, etiam ſpiritum ſanctum generare, & proptereà genitum quoque debere dici, vt tu fingis. Tolle igitur tua iſta figmenta, non quod tibi videtur eſt, ſed tibi videri debet, id quod eſt Deus, neque enim tua ſtultitia modum gignendi, quem ille non agnoſcit, præſcribere illi, & mandare poteſt, aliud eſt generatio, aliud ſpiratio in diuina illa Maieſtate, aliter figulus procreat liberos aliter vaſa illa lutea fingit, vtriuſque quidem author eſt, neutrum tamen alterum eſt, nec liberi ſunt vaſa, neque vaſa liberi. Reuocarem te ad ſolem, ſed cœcitas tua morbuſque tuus ſplendorem eius non fert, tenebræ figmentorum tuo rum & mendaciorum te delectāt, in ijs nimium acutus & perſpicax es. idem Sol radium emittit, & calorē ſpirat, vnus & idem Sol vtriuſq; principiū eſt: Alia tamen procedendi radij, alia caloris ratio eſt; Radius lucet, calor calefacit, & res viuificat: non eſt quidem radius ſine calore, alius tamen eſt calor, alia lux ſiue radius, a-

Francken ſolem veritatis non fert.

lius Sol, diuerſa ratio luminis à calore eſt, & in ortu, & in operando, quæ tamen vnus Sol vnum aſtrum ſunt. Non eſt igitur neceſſe, quod Spiritus ſanctus à patre vt & filius procedat, cum quoque dici genitum, cum Dei generatio, vt & ipſe Deus ſimplex ſit: ſed nimium multa de nugis tuis argutis ratiocinamur, diutius quàm vires tuæ ferre queāt, tecum luctamur, nō argumentis tecum agendum eſt, verùmenimuerò fuſtibus & igni. pulcherrimè quidem Princeps in noſtra hac Repub. dixit: Hoc genus Gorſci diſputationis non niſi fuſtibus profligatur, vt illud dæmonium quod diſcipuli eijcere non quibant, ieiunio & oratione, ignem & fuſtes admoue. Si vis hoc dæmonium mendacij à Francken eijcere. Sed vide quem ſenſum tu habeas, contendebas generationē diuinam generationi rerum creatarum parem eſſe, & propterea inferebas filium Dei, Deum genitum, ſi genitus eſt, principium habere, indeq́; æternum non eſſe, quod omnia quæ ortū habeant, æterna non ſint, at nūc mu-

mutatâ tua pelle diſertè aſſeris, aliam Dei generandi rationem eſſe, qui ſit Spiritus, aliam hominis, qui ſit caro, vnde quæſo iſta inconſtantia? vnde, vt quæ pernegabas, nunc aſſeueres, & tecum ipſe pugnes: Dixi toties verita tem vt lucem, oculos tuos etiam ſi eos claudas ferire, inuito & impruden ti excidere, aliam eſſe generandi rationem verbi diuini, aliam hominis di cis, rectè: accipimus libenter tuum hoc munus, agnoſcimus veritatem noſtram, à te iniquiſſimo poſſeſſore & tyranno elapſam, nobiſque veris eius poſſeſſoribus redditam, & quam in tenebris mendaciorum cõcluſam tenebas, in luce clariſſima verſantem honoramus. Venio ad illam quæſtio nem, quam tu vt tibi videris, argutè vrges: Si tres ſint perſonæ diuinæ, & vna omnium ſubſtantia, vtrum nec ne etiam ſint tres earum voluntates, ſecundum Trinitatem perſonarum, an verò vna, ſecundum ſubſtantiæ vnitatem: Deinde inquis, ſi voluntatis actione productus eſt Spiritus ſanctus, velim reſpondeant quærenti, nũ Pugnat ſecũ Francken.

eandem voluntatem numero in om nibus tribus putent ineſſe perſonis, ſecundum vnam numero eſſentiam diuinam, an potius triplicem numero voluntatem, iuxta triplex ſuppoſitum diuinum; hoc tu cum proponeres, non ignorabas, quid Catholica fides reſpondere iubeat, & propterea aſſumis non audebant inquiens dicere, ſuam ac propriam cuique perſonę voluntatem eſſe, & rationem, cur non audeamus, ſuam cuique perſonæ diuinæ voluntatem tribuere, reddis: quod ſola perſonalia in diuinis propria ſint, eſſentialia verò communia. Quæ autem diuinis ſint communia perſonis, illa eadem ſunt numero communia, at intellectus & voluntas non ſunt perſonalia, ſed eſſentialia, vt ſcholaſtici, & omnes alij Theologi confitentur, quare eadem eſt numero, voluntas in omnibus tribus diuinis perſonis, ergo & eadem numero actio voluntatis eſt in tribus ὑποςαμένοις diuinis: Hæc tu nobis proponis, ad hanc quæſtionem nos tibi reſpondere vis; immò quod re-
ſpon

ſponſuri eramus, tu ipſe retuliſti, ac tuæ quæſtioni ſatisfeciſti, vnam voluntatem trium perſonarum diuinarum, ſecundum vnam ſubſtantiam eorum dicimus, idem velle, idem nolle eſt totius Trinitatis diuinæ, vt potentia, vt æternitas, vt bonitas, ſapientia, & cætera quæ ſubſtantiam diuinam comitantur, omnibus illis tribus perſonis conueniunt, & vt non plures, ſed vna potentia, vna æternitas, vna ſapientia, vna bonitas, ita vna voluntas, vna actio omnium eſt. Nō eſt in quo diutiùs hic moremur, quæ Theologi doceant, retuliſti; & quidem ſincerè & bona fide egiſſe te nobiſcum dicerem, niſi quæ ſequerētur te nobis veritate referenda inſidias ponere iudicaſſent. ex ijs enim quę à noſtris de vnitate voluntatis trium perſonarum dicuntur, ſpiritum ſanctum tertiam perſonam in diuinis eſſe nō poſſe, concludere conaris: cū enim in diuinis duæ ſint actiōes, altera intellectus, vnde generatio verbi procedat, & ſimilitudinem eius vnde procedat,

Trium perſonarum in diuinis vna voluntas.

Francken veradicendo fraudem quærit.

 dat,

dat, effingit. Altera voluntatis, quæ ſpiratio eſt, in qua, quod procedens non effingat, ſimilem eius, à quo procedit, generatio dici non poteſt, nec procedens genitum; contrà quàm tu concludere paullò ante conatus es, ais voluntatis actione produci Spiritum ſanctum non poſſe, cuius rationem reddis, quod eadem actio ſimul producere & produci non poteſt. Cũ igitur patris, & filij, & Spiritus ſancti voluntas vna ſit, actionem quoq; voluntatis vnam eſſe omnium trium oportere. Cùm igitur Deus pater, vnà cum verbo ſuo ſpirãdo producat Spiritum ſanctum, illam ſpirationem voluntatis eorum, quæ eſt illis cum Spiritu ſancto communis, & vnã omnium atque eãdem actionem eſſe oportet, quæ ſine Spiritu ſancto etiam eſſe nequeat & ita oportere ad eam ſpirationem & productionem Spiritus ſancti voluntatem & actionem accedere, indeque ſequi vt idem Spiritus & producat, & producatur ſimul, atque ita in eodem ſpiritu actionem eſſe & producentem, & productam,

quod

quod fieri nō poſſe tu aſſeueras, cum aliud ſit producere, aliud produci, aliud ſpirare, aliud ſpirari, facere & fieri, concludis: Si Spiritus ſanctus à patre & filio producatur, actionem illã eorum eſſe, & productam & producentem: Productam in ſpiritu, producentem in patre & verbo, quod tibi, (vt dixi) abſurdum videtur. Quod equidem ſi velis meminiſſe, in qua materia tua iſta diſſertatio verſetur, nihil abſurdi videres, nec ita moroſè, ne dicam ſtultè in arcanam illam Spiritus ſancti proceſſionem inquireres, vt generatio verbi æterni enarrari à nemine poteſt, ita nec proceſſio Spiritus ſancti, ſcimus & credimus genitũ verbũ, ſcimus & credimus Spiritum ſanctum à patre & filio procedere; teſtatur nobis eius proceſſionem verbum æternum: Procedere ait Spiritũ ſanctum à Patre, quem nobis miſſurum ſe promittit, teſtatur, & à ſe eum emanare. Credimus igitur hoc ita eſſe, quomodo autem fiat, neſcimus, nec vltra id quod nobis renunciauerit veritas, progredi volumus, & tem

pus illud eius cognitionis exſpectamus, cum Deum, vt eſt, contemplari nobis poteſtas dabitur, cum eum ſicut eſt videbimus, vt Apoſtolus pollicetur: neque volo hic referre quæ à Theologis ſcholaſticiſq; de hac proceſſione Spiritus ſancti dicatur. Video te eam partem Theologiæ non neglexiſſe toto illo decennio, quod te perdidiſſe defles, & quod tibi ſcholaſtici reſpondeant, ipſe ſubijcis, dicēs: Etſi vna actio illa triū perſonarū ſit, nihil tamen obſtare, quo minus per eam ſpiritus ſanctus producatur, cum principium eius actionis ſit Deus pater, verbum autem eius mediū, terminus autem ſpiritus ſanctus ipſe à patre & filio ſuo productus, ita etſi eadem voluntas, & eadem actio eius productionis ſit omnium perſonarū, quod tum diuersè in eis ſpectetur, in patre vt in principio, vnde promanat: in filio, vt in medio, per quē manat: in ſpiritu sācto vt in termino, in quo conſiſtit, nihil abſurdi committatur, quod Spiritus ſanctus actione voluntatis communis productus

eſſe dicatur, cum ipſi alia quodammodo ratione actio illa conueniat, alia patri & filio, & quidem actio illa voluntatis eſt omnium, alia tamen & alia alijs conuenit ratione patri vt principio, filio vt medio, Spiritui ſancto, vt termino: Et quidem ſi de illis ſermo nobis eſſet actionibus, quæ foras perſpectant, & ad res creatas promanent, tua iſta oratio vera eſſet, & ita vera, cui aduerſari, prudentis non eſſet. Sed quoniam agimus de Actione diuina ea, quæ foras non prodit, quæ in ipſa diuinitatis ſubſtantia conſiſtit, nihil abſurdi eſt, Spiritum ſanctum ſe produci à patre, & verbo ſuo velle, ſuamque voluntatem, voluntati quæ eadem, quæ illorum eſt, eorum voluntati conſentire, & idem cum eis agere, & ad ſui productionem illi cooperari vult Spiritus ſanctus, DEVS qui eſt ab æterno eſſe, vt pater vult eſſe pater, non quod antè non fuerit, aut non ſit, ſed quod eſt, vt ſemper ſit, vult eſſe ſolus & vnus

Deus

Deus, non quod antè non fuerit, ſed quod qui eſt ſemper ſe eum eſſe & agnoſci velit: Eſt Spiritus ſanctus Deus tertia perſona in diuinis producta à à patre & filio ab æterno, & hoc ſe eſſe ſemper vult, in hoc patris & filij actioni cooperatur, indiuiſa ſubſtantia diuina, indiuiſam & voluntatem & actionem habet, legib⁹ iſta noſtris non tenentur, nec Dialecticorum cõſequentijs illigantur. Scit Deus pater quomodo verbum ſuum generet, ſcit quomodo Spiritum ſanctum ſpiret, quorum vtrumq; nos credimus, & ita eſſe, etſi modum nõ teneamus, profitemur, fides, ſcientia noſtra eſt, hæc, quæ vis intelligendi non poteſt, capit, & nos docet, cõfitemur vnam actionem voluntatis trium perſonarum eſſe, confitemur Spiritum ſanctum à patre & verbo eius procedere, confitemur nihil abſurdi in ea actione proceſſionis accidere. Nam quod infers ob vnitatem voluntatis & actionis producendi Spiritus ſancti, effici, vt vna & eadem perſona ſit patris & Spiritus ſancti, id totum vanum

vanum eſt. vrges tu ea, quæ tibi viden tur tuum errorem firmare; & eorum cantilenam cantas, qui vt vnam ſubſtantiam, ita & vnam perſonam, Patris, Filij, & Spiritus ſancti volebat eſſe, & non in re, ſed in verbis ea diſcrimina perſonarum videri nugantur, quorum error ab Eccleſia damnatus & exploſus, vt & tuus iſte furor explo detur, quanquam tu illos priores nobis reducere videaris, Cerynthum & Hebionem, qui Chriſtum hominem tantum fuiſſe aſſerebant; Spiritum ſanctum Deum eſſe negabant, quod idem tu contendis, & filium, & ſpiritum ſanctum abnegas, Turcarum & Saracenorum confeſſionem ſecutus, qui nec filium, nec ſpiritum ſanctum agnoſcunt, vnum Deum eſſe clamãt, cum quibus tu licet clames ad rauim vſque, veritas tamen æterna eſt, tres tamen in cœlo manent, qui teſtimonium dant, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, qui tres vnum ſunt, ait Ioannes, qui quod vidit, quod audiuit, quod manus eius contractarunt, ſe tractari ſcribit, ſed quoniam tibi no-

Francken Machometi diſcipulus.

ſtra

ſtra, vtpotè à Chriſto, quem à nobis confictum eſſe latras, non placent, audi eos qui alieni à Chriſto fuerunt, quorumque tu ſapientiam ſuſpicis, Gentilis erat Mercurius ille, quē Triſmegiſtum Egyptij vocarunt, tutò ei credere poteris, nihil Romanum admiſtum habet, antequam Roma cōderetur regnauit, & de DEO opifice mundi diſſeruit: quid igitur ille ait? Equidem quod Eccleſia confitetur, vnum Deum eſſe in ſubſtantia, trinū in perſonis: lucem vocat Deum patrem, principium totius diuinitatis, eam lucem verbum æternum, per quod omnia fecerit complexam, cū quo verbo ſuo mentem alteram opificem peperiſſe teſtatur, quæ quidem mens Deus ignis atq; ſpiritus numen ſit, quod ne me fingere more tuo putes, audi ipſum Mercurium cum Pinādro de ortu mundi diſſerētem, & Trinitatem diſertiſſimè enarrātem: etſi enim ille idolorum ſacerdos fuerit, veritatis tamen lumen in eo extinctū nondum erat: Audierat multa tum ab Hebræis, qui in Aegypto verſabantur,

Mercurij de Trinitate ſententia.

tur, tũ à maioribus ſuis, qui Theologiam Noe & Melchiſedech non ignorabant, vnum Deũ quidem in ſubſtãtia eſſe, trinũ tamẽ in perſonis, quod myſteriũ etſi vulgò nõ credebatur, inter eruditos tamen cuſtodiebatur, ac integrũ inuiolatumq; cõſeruabatur. Sed audi Mercuriũ, imò Pinandrum Mercurio arcana Trinitatis euoluentẽ & rationẽ viſi luminis, quodq; Triſmegiſt⁹ intueretur, enarrãtẽ, & ſe deũ eſſe mundi conditorẽ appellantẽ. Nã Pinãder ille (hoc verò eſt mẽs diuina quæ Mercurio apparuerat) ita inquit, lumẽ illud ego ſum, mẽs deus tu⁹, mẽtis verò germẽ lucẽs Dei filius, vbi diſertè enarrari audis arcana duarũ diuinarũ perſonarum patris & filij, q in patre ab æterno ſemp fuerit: horũ .n. inquit Pinander, vnio vitæ eſt, neq; enĩ diſtant ab inuicẽ, & paulò poſt, patris deſcribens naturã & poteſtatẽ. Vidiſti inqt, in mente primã ſpeciẽ infinito imperio prę ualentẽ. Erat aũt illa ſpecies, q̃ Triſmegiſt⁹ intuebatur, lux viribus innumeris, ornatũ ſine termino ignem, vi ingenti circumſeptũ; &

in

in ipſa ſua ſtabilitate dominantem è quo lumine, & verbum quem filium DEI vocauit & ſpiritum ſanctũ, qui ſuper aquas in die creationis mũdi vt noſtri teſtantur morabatur, naturamque humidam, è qua omnia producerentur, fouebat, proceſſiſſe diſertè teſtatur: Ex hac, inquit luce, verbum factum prodijt, & cum quærer tur Mercurius, vnde clemẽta pro dijſſent, ex voluntate Dei, quæ verbũ complexa eſſet. prodijſſe reſpondit: vbi patrem per verbum ſuum & filium vnigenitum operari omnia indicat, à patre Deo elementa, & res omnes creari per verbum, quod diuina mens illa, quę infinita potentia & imperio ornata ſit, complecteretur Spiritum in quo omnia crearentur illis fouendis afflari, & illa quaſi calore ſuo foueri indicat, & quoniã lumen, quod intueretur mentem vocauit, quid mens illa ſit exponit: Deum eſſe ipsũ dicens, vt & modo dixi Lumẽ illud ego ſum, mẽs, Deus tuus, à quo omnia vim illam tuam vitalem, ſiue vt tu cum Ariſtotele loqui ſoleas, ſu-

um eſſe capiant, ait enim: mens autē Deus vtriuſq; ſexus pleniſſimus, quæ etſi gentile quiddam ſpirent, de ſexu vtroq;, tamen hoc indicant, Deum fontem eſſe omnium rerum, ex eo omnia vt è principio prodire, vitamq; vtriuſque ſexus inde haurire. Hoc enim ens primum, optimum & perfectiſſimum eſt, à quo omnibus eſſe datur, quod tu etiam cum Ariſtotele fateris, hinc vterque ſexus, hinc omnia quæcunque ſunt, promanant, in eo vigent, in eo mouētur, ſunt & viuūt, de plenitudine eius omnia capiētes, vitalemque virtutem haurientes, quum ipſe ſit vita & lux, vt idē teſtatur Pinander, quæ vita & lumen cum verbo ſuo, mentem alteram opificē peperit, qui quidem Deus ignis eſt, atque ſpiritus numen, vbi Francken, & vnum Deum lumen illud mirandum, ab gentili etiam homine, arcanorū tamē Dei nō ignaro, dici audis & trinitatem perſonarum clariſſimè demonſtrari, patris, quem lumen vocat, filij quod verbum eſt, per quod mens illa Deus pater omnia creat, & *Mercurius trinitatem perſonarum demonſtrat.*

quod complectitur,& Spiritus ſancti à patre & filio producti, quod ideo moneo,vt mentiri deſinas, à Romanis multitudini deorum aſſuetis,hęc conficta eſſe: ante Romam cōditam, Triſmegiſtus in Aegypto,vt dixi,regnauit, multis ſeculis antè hæc arcana cognouit, filioque ſuo poſteritati reſeruanda tradidit,& mundum quem tu cum Proclo negas ortum habere, clariſſimè à Deo patre per verbum ſuum fabricatum eſſe teſtatur: contexuit,inquit,inde verbum Dei ex elemētis deorſum tendentibus purum naturæ artificium,vnitumque eſt opifici menti, verbo Domini connexa eſſe elementa dicit Pinander,quod verbum menti opifici cōnexum eſſe ſtatim ſubijcit,& rationem coniunctionis illius diuinę reddit,quod verbū illud,per quod mundus cōderetur, cōſubſtantiale ei ſit: ait itaq;, conſubſtātiale enim erat,quod verbū patri cōiunctum,vnà cum eo & ſeruare & retinere oīa,& cęlos ſiue circulos verſare ait,ita vt doceat,nihil patrē Deum abſq; filio vel condere,vel conditum

Filius patri conſubſtātialis.

guber-

gubernare & cõſeruare, qui Deus pa-
ter, quia ſemperoperetur, omnia mo
ueat & ſeruet, ſemper verbum ſuum
λόγος illud & Deum genitum, quẽ tu
rides, in ſe contineat, neceſſe eſt, qđ
ipſe λόγος teſtatur clariſſimè dicens, ſe
in patre eſſe, & patrem in ſe, & eum q
ſe videat & cognoſcat, patrem etiam
videre & cognoſcere, in ſinu Dei pa-
tris verbũ Domini ſemper eſt, fraude
tua ſeiungi nõ poteſt: Conſubſtãtiale
enim patri eſt, nõ refero omnia quæ
Triſmegiſtus narrat ſibi à Pinandro
(hoc verò eſt diuinę potentię verbo)
enarrata. Vnde etiam ſe ſpiritu diui-
no afflatum veritatis compotẽ effe-
ctum ait, omnibuſq; animi virib. pa-
tri Deo gratias agit apertè, quæ mẽs
illa & lumẽ quod viderat eſſet, & quę
verbum complexa, alterum opificẽ
mentem produxerit, demõſtrans, de-
umq; patrem vocat, ita enim ait: Hęc
mihi contigerunt ex mẽte haurienti,
id eſt, ex Pinãdro diuinæ potẽtiæ ver-
bo, vnde ipſe diuino afflat⁹ ſpiritu, ve
ritatis cõpos effectus ſũ; q̃obrem om
nib. animi virib. patri Deo gratias a-

Sanctus Deus pater omnium: Sanctus Deus, cuius voluntas à proprijs poteſtatibus adimpletur, Sanctus deus, qui ſuis familiaribus innoteſcit: Sanctus es, qui verbo cuncta conſtituiſti: Sanctus es, cuius imago eſt omnis natura: Sanctus es, quem nunquã natura creauit: Sanctus es, omni poteſtate validior: Sanctus es omni excellentia maior. Sanctus es, omni laude melior. Excipe verborum ſacrificia ſancta, ab animo, & corde debito tibi manantia, ineffabilis ſolo ſilentio prædicandus ab eo, qui fallacias veræ cognitioni contrarias, declinauit. Annue, corrobora me, atque huius gratiæ participes effice eos, qui in ignorãtia verſantur, cognatione quidem mihi fratres, tibi autem filij. Etenim fidem tibi præſto, teſtimonium de te perhibeo, in vitam ac lumen aſſurgo, ipſe pater es venerandus, homo autẽ tuus, ſanctitate vna tecum potiri deſiderat, cum poteſtatem illi omnium, arbitriumque conceſſeris: Quæ verba Triſmegiſti, quid aliud ſpirent, niſi pietatem; quid aliud do-

cent

cent, præter ſapientiam, à Deo, vt omnia promanare, ſapientiamque veram eam eſſe, quæ hic exprimitur, cognoſcere vnum verum Deum in ſubſtantia, trinum in perſonis, cui Mercurius Soli, bonitatem ſolidam tribuit, neminem eſſe bonum præter Deum ipſum, cum Moyſe clamans, hūc ſolum verum eſſe Deum, alios eo nomine falsò honorari, vna Dei natura eſt, inquit ille, ſolus ille bonus; ſolus de⁹ natura ſua, nō appellatiōe hoīm, & ita natura ſua bonus, vt dicat Mercurius, Deum bonum eſſe, & bonum Deum, ſic enim hæc ſibi inuicem tribui vult, vt Deus ipſum bonum ſit, & bonum ipſe Deus, quem ſtatim patrem dici ait, quod omnia ex ſe gignat, propriumque ei eſſe gignere teſtatur, quod tu inſanum caput negas, qui patri gignendi vim denegas, ſterilem, contrà quàm ipſe de ſe teſtatur, efficis, teq; eo lumine ſapientiæ, quo Mercurius ſe illuminatum teſtatur, priuas. Habes Francken, non modò ſacrarum literarum de Trinitate perſonarum diuinarum, & Spiritus ſan-

Sapientia vera quæ ſit.

Propriũ Dei patris gignere.

ςti diuinitate, ſed etiã veteris Aegyptiorum Theologię teſtimonia habes Triſmegiſti de Deo, & in ſubſtãtia vno, & in perſonis trino clariſſimã doctrinam, quæ apud te vt gentilib⁹ ſcriptis deditum, magnũ pondus habere debet, apertè Triſmegiſtus de Deo patre, de verbo eius, & ſpiritu ſancto cõcionatur, & te in iudiciũ vt Niniuen, & regina Auſtri Iudæos vocat, vel improbitatis tuę, vel ignorantię te damnaturus, tibiq́; alium eſſe patrem, aliũ filium, alium ſpiritũ ſanctum, ac ſpiritum ſanctum omnibus numeris numen abſolutum, mentem opificem à patre Deo, verbum cõplectente, productum, vnum tamen in ſubſtantia Deum eſſe demonſtraturus. Sed ad tertium inſaniæ tuę Critirium veniamus; & quam diſertè in eo mentiaris, videamus. Tertium igitur, ais, eſt huius vanę ſignum doctrinę certiſſimũ, hypoſtatica vnio duarum in ſecunda Trinitatis perſona naturarum, quam idololatrę pepererunt: tertium ſignũ ais eſſe vanæ doctrinæ, vaniſſime homo, tertium quidem ſignum eſt, non

doctri-

doctrinæ noſtræ falſæ, ſed tuæ impudentiæ, tui furoris inſani, quo tu abreptus, in impudentiſſimorum hominum Hebionis & Cerynthi, qui Apoſtolis ipſis & D. Ioanni aduerſari non dubitarunt, Chriſtumq; Deū eſſe negarunt, ſolam illi humanā naturam tribuētes in errorem incidiſti, qui ſcelerati homines, cum ab Ioanne Euangeliſta edito ad eos refellendos Euangelio obtuti eſſent & ex omnibus Ecclesijs eiecti. Non defuerunt tamen, qui eum ipſum furorem amplexi eſſent, vt Theodotus & Paulus Samoſathenus, cui tu vanitate & arrogantia nihil cōcedis, ac poſtremò Photinus, qui flammas iſtius tanti furoris deficientes, & iā extinctas inſaniæ, & impietatis ſuę materia illis addita ſuſcitauit, & nominibus ſuperiorū huius impietatis authorū, quaſi exuſtis, ſuū nomen ei impoſuit, vt deinceps qui Chriſtum Deū fuiſſe negarent, nō Hebionitę, non Cerinthiani, nō Arthemoniāi, nō Theodotiani, nec Samoſatheni, ſed Photiniani dicerētur, cui tu iſtam tam nobilem gloriam inuides,

Furoris Francken ſignum.

Francken Hebionitha & Cerynthianus.

Succeſſores Hebionis & Cerynthi.

Franckẽ Photino hæreſim inuidet, et gloriam eius ad ſe transfert.

ac Photini nomine extincto, tuum illi lemma præponere, & altius etiam ne facilè aboleatur, imprimere conaris, vt deinceps non Photiana iſta veſana hæreſis, ſed Chriſtiana ſiue Franckana appelletur, & ne furti tui hic veſtigia agnoſcãtur, verba commutas, vt nouum & inauditum inuentum tuum hoc ſcelus eſſe videatur: nam cum illi dicerent, Chriſtum hominẽ tantum fuiſſe, diuinamque naturam in eo negarent, tu hypoſtaticam vnionem duarum naturarum in tertia perſona Trinitatis eſſe non potuiſſe aſſeueras, vt cum, re ipſa cum illis ſentias, verbis tamen hæreſim obſoletam & exploſam interpoles, nouuſque atque recens ad nos prodeas, teq; nouitate ipſa ſceleris tui admirabiliorem reddas, & tuũ caput inſanũ te altius in Tartarum cęteris immerſiſſe, & quod alij omnes ante te inde eruere, vel non curarunt vel non potuerunt, eruiſſe, & ex ima fece barathri hauſiſſe, nobis probes, & quidem non falſus es tua opinione: Miramur te tantum auſum nephas, & vt nouũ

Fraus Francken.

Acumen Frãcken in mendacio.

nouæ

nouæ impietatis Doctorem admiramur. Habes laudem ſceleris & audaciæ tuæ, cuius tua Critiria teſtes eſſe voluiſti. Negligemus per te Germanũ nebulonẽ, Syros illos hæreticos: negligemus Cerynthos & Hebiones. Faceſſat Photini impudentia, Francken ſit proprius huius dementiæ ac ſceleris & inuentor & Dominus, ſit illi hæc hæreſis Franckana, nam Chriſtianam vocari, tibi non expedit, vtpotè quod hoc nomen tibi cum cæteris commune videatur, tu autem & re, & nomine nouus author, nouus hæreticus videri vis eſſe. Franckana igitur ſit tua iſta inſania, quæ negat vnionem duarum naturarum hypoſtaticam eſſe in tertia Trinitatis pſona, caue dicas Francken, Chriſtus tantũ homo eſt, Deus nõ eſt, accurrẽt enim ſtatim Photiani, Cerynthiani Samoſatheni, & Pauliani, tecumque non manu conſerta ex iure, ſed ferro agent, ſuamque poſſeſſionẽ à te repetent, muta nomen poſſeſſionis ne furtum tuum frauſque ſtatim agnoſcatur, ne victus quadruplum

Hæreſis Frãckana.

Furtum Franckẽn.

Quid ſpectauerit Franckenſcribēdo

reddere interdicto prætorio cogaris: Laudo Francken tuam iſtam furandi induſtriam, laudo artem, aliena & obſoleta interpolandi, & in fuco hominibus faciendo dexteritatem: Et quidem iſtum tuum nouæ hæreſeos titulum ſtrenuè tueris, vnitas in Chriſto eſſe duas naturas aſſerentes idololatras appellas, eorum hoc inuētum (nihil veritus mentiri) ais eſſe, quo vſi ſint, cum quartum quendam Deum habere vellent. Equidem tu cum iſta ſcriberes, nihil aliud ſpectaſſe videris, quàm vt impudentiſſimè mentiēdo, quàm ſis improbus, quàm ſceleſtum caput, omnibus palàm demōſtrares, teq; ſcurram merum eſſe probares, quid opus erat ingreſſum iſtū tuum in hoc tertiū antri tui barathrum, tot tam inſignibus mendacijs communire, Catholicos homines idololatras vocare, calliditatis vitium, in fingēda Chriſti Dei & hominis perſona obijcere, eſſentiæ diſtinctiones, è gloſſis aliundè compilatis proferre, in Euchariſtiæ dogmata incurrere, quæ omnia nihil ad rem quam moliris, facerent

cerent:idem quod Cerynthus, quod Hebion, quod Photinus docuerunt, doces. Eodem igitur modo docere debuiſti, Chriſtum hominem purum, quod illi aſſeruerunt, probandum ſuſcepiſti, eius rei argumenta à te expectamus, quæ quod nulla afferri, niſi aut nugatoria, aut illorum, quorum hic inſaniam ſequeris, quæ à maioribus & refutata, & pedibus, vt ita dicam, conculcata ſunt, poſſe videbas, diutius mentiendo nos detines, vt fatigatos tua impudentia, facilius Sophiſtica tua vanitate nos decipias, ſed nihil vaniſſimè ſcurra agis, ſingula mendacij tui membra inſpiciemus, quam ſolida ſint, videbimus: Meminiſtíne impudens os, te nos Trinitarios, quod tres perſonas in ſubſtãtia diuina agnoſcamus, appellare ſolere. Trinitatem nobis obiecisti, quã idolon horrendum vocaſti. Nunc verò quaternitatem nobis obijcis, quaſi nos non cõtenti tribus illis diuinæ eſſentiæ perſonis, quartam perſonã, quartumque Deum, qui Deus & ho- *Ars Franckl in mentiendo*

mo ſit fingamus: quod ſi ita eſt, non Trinitarios, ſed quaternarios nos iã ante appellaſtes, ſed nondum tibi id in mentem venerat mentiri. Dum igitur illa vomis; hoc quoq; nouum fruſtum mendacij tibi acceſſit, quod prætermittere nolis, ne parum mentitus eſſe adhuc videaris: cumulas igitur ſcelus ſcelere, mendacium mendacio, alia aliam trudente fallacia. Audite, audite impudentiam hominis, in ſecunda, inquit, Trinitatis perſona, quam idololatræ pepererunt: quis quæſo ita eſt inops, non à ratione dico ſobria ſed à ſenſu etiam ipſo, qui mendacio tam aperto non moueatur, cui tanta impudentia, ſi non dolorem illum iuſtum, moleſtiam tamen non afferat, nóſne in Chriſto duas naturas finximus? nóſne Chriſtum Deum & hominem confinximus eſſe? nóſne qui Deum vnum in ſubſtantia, trinum in perſonis veneramur, qui in Chriſtum Dominum, & Seruatorem noſtrum; qui peccata noſtra ſuſtulit, qui nobis pacem apud Deum patrem cõfecit, credimus De-

Impudẽs mẽdacium & non ferendũ.

Deum verum, & hominem verum profitemur, idololatræ ſumus? quem Chriſtum à Deo patre accepimus, eum veneramur, quem eſſe pater & per Prophetas, & per Ioannem, quo maior nemo ſurrexit, & qui eſt plus quam Propheta, & poſtremo voce ſua tum in Iordane ſtantem, tum in monte transfiguratum teſtatus eſt eſſe, credimus: Hic eſt, clamat DEVS pater, filius meus dilectus, hunc audite, quis erat quæſo, tunc Chriſtus, cũ hęc Deus pater diceret: erat homo verus qui lauabatur in Iordane, qui in monte cum Moyſe & Helia loquebãtur; quem Petrus cum Ioanne & Iacobo intuebantur, qui cum homo eſſet, à Deo patre tamen filius dilectus appellatur, cur ita? quod non ſolum homo verus, ſed & Deus verus, Dei patris verus & conſubſtantialis filius eſſet, quem igitur Deus & hominem & Deum eſſe teſtatur, hunc tu impurum os, Deum eſſe negabis, tuaque illa eſſentiæ partitione ſophiſtica nos dementabis, & vt Deum ipſum mendacem eſſe dicamus induces? hominem

Vide Francken, an Deo patri credendum ſit, Chriſtum Deum teſtanti.

minem Deus pater Chriſtum lauari in Iordane à Ioanne videbat, hominem in montem aſcendere cernebat, filium tamen ſuum dilectiſſimum eſſe, voce de cęlo emiſſa, teſtatur Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui & tu es filius dilectus, in quo complacuit mihi, hunc Deus pater nos audire iubet; huius doctrinam approbat dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè cõplacui, ipſum audite, qua voce diuina audita, diſcipuli ceciderunt in facies ſuas, & timuerunt valdè, agnoſcentes non modo hominem magiſtrum ſuum Chriſtum, qui tum cum Moyſe & Helia loquebatur, qui ante eos transfiguratus erat, verùm enimuerò filium Dei hoc verò eſt, verum Deum, ſi enim filius Dei eſt Deum certè negare impudentis oris fuerit. Deus Deum genuit, qualis pater, talis filius, agnoſcebant Iudæi, filium Dei non niſi Deum eſſe, & eum Deum, qui Deo patri æqualis eſſet. Vnde cum audirent Christum ſe filium

um Dei eſſe dicentem, tanquam in blaſphemum lapides corripiunt, lapidaturi eum ſtatim, quod non ſolum ſabbata ſanandis ægrotis violaret, ſed etiam, quod ſe æqualem Deo patri faceret: ſciebant enim filium Dei Deum eſſe, & æqualem Deo patri eſſe, credere tamen Chriſtū filium Dei, quem çqualem Deo eſſe ſcirent, eſſe nolebant; hominem purum, vt & Photinus, & Francken impudentes homines eſſe volebāt, at Deus pater, non ſolū non fert moleſtè, quod Chriſtus filius Dei eſſe dicatur, quod Petrum dicentem audiat: Tu es filius Dei, qui in mundum veniſti, ſed ipſe voce de cœlo emiſſa non ſemel teſtatur, filium ſuum eſſe, eumq; audiri iubet, vtpotè qui ſolus ſuam voluntatē nouerit, qui ſolus viā ſalutis ſciuerit, vt filius vnigenitus ſuus, & qui de vtero eius & ſubſtantia ſua genitus, & qui ſemper eſt in ſinu patris, nobiſque arcana eius enunciat. Hic eſt ille Deus, quem Propheta teſtatur ſcire vniuerſa, qui præparauit terram in æterno tempore, & re-

Ioan.10.

Baruch 3.

repleuit eam pecudibus & quadrupe dibus;qui emittit lumen, & vocauit illud,& obedit illi in tremore,quo iubente,ſtellæ dant lumen in cuſtodijs ſuis,& lętatæ ſunt;vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus: & luxerunt ei cum iucunditate,qui fecit illas:Hic eſt, inquit Propheta,Deus noſter,& non ęſtimabitur alius aduerſus eum, hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo,poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt:audiuiſti impia mens,quid deus pater deChriſto locutus eſſe,ſacris Euangelijs traditur, audiuiſti eum filium dilectiſſimum vocari, nobiſq; vt eum audiamus mandari, audiuiſti Iudæos, quod ſe filium Dei diceret, exclamaſſe non ſolum eum ſabbata violare,ſed etiam ſe æqualem Deo facere,& cum hoc idem apud Pontificem adiuratus confeſſus fuiſſet, blaſphemiæ condemnatum: Agnoſcebant illi filium Dei. non niſi Deum eſſe,Deus enim Deum generat,vt homo hominem. Ex vtero ante Lucife

rum

rum. Deus pater per os Prophetæ, e- Baruch 3.
um ſe genuiſſe filium, vt & in Euangelio eſſe teſtatur. Quid igitur tu canis rabioſe latras, & nocticorax lucem inacceſſam inumbras? lumbricus, & è cœno ſophiſtico proripiens, aduerſus lucem illam, quæ omnia illuſtrat, obmurmurás, & ſapientiæ illi, quam nemo vbi ſit, & ea quæ ſit, vt Propheta teſtatur, ſcire poteſt, tuam ſtultitiam opponis, & tuam temeritatem inſaniamque, eius prudentiæ antefers: Audiuiſti, quod Propheta Baruch de illo dicat, hunc ille noſtrũ Deum appellat, hunc ſcire vniuerſa, noſſe vniuerſa, hunc ſapiẽtiam illam quam nemo vnquam inuenire potuit, ſua prudentia inueniſſe, quæ ſit, vbi ſit nobis demonſtraſſe, iterque ad eam nobis paraſſe, quod nemo potuit, quod Gygas fortis nõ effecit, quod Philoſophi ignorarunt, hunc ſolum inueniſſe, & nobis expoſuiſſe, diſertis teſtatur verbis. Deum enim qui eſt ſapientia incomprehenſa, nemo vidit, nemo ſcit, præter filium eius, qui in ſinu eius eſt, qui nobis quæ apud patrẽ

vidit, enarrauit: per quem pater omnia operatur, per quem mundum cõdidit, & ſeipſum nobis patefecit. Hic eſt ille, ait Propheta, Deus noſter, qui ſcit vniuerſa, qui præparauit terram in æterno tempore, repleuitq́ue eam quadrupedibus & pecudibus, qui dixit & facta ſunt, qui mandauit & creata ſunt, cui aſtra matutina ſeruiunt, qui emittit lumen, vadit & vocat illud, cui illud vocatum cum tremore obedit. Hunc igitur Sol, hunc ſtellæ venerantur, huic obediunt, & vocatę reſpondent adſumus, cui tu impurũ animal aduerſaris, contra quem tua cornua inſaniæ tuæ erigis, cui vt canis allatras, & ea poteſtate quam cœlum vniuerſum, quam terra, quã totus mundus tremuit & veneratur, lũbricus pede proterendus eum ſpoliaturum te iactas: at Baruch ſpiritu sãcto (quem tua ſtultitia non agnoſcit) plenus, tantam eius potentiam admiratus clamat: Hic eſt Deus noſter, cui nemo alius conferetur, qui rationem diſciplinæ inuenit, & Iacob dilecto ſuo tradidit; quam diſciplinam

tu

tu nuſquam caput deteſtandum fers, quam Tyrannidem vocas, diſciplina enim eſt via illa, qua ad ſapientiam veram, quam nemo præter hunc, quem ſuum Deum Propheta vocat, inuenire potuerit, nos deducit Chriſtus Ieſus filius æterni patris æternus. Hic enim & terram in tempore æterno parauit, hic cœlum condidit, hic ſyderibus imperat, lucem dat, hunc aſtra matutina laudant; hunc venerãtur, huic vocatę ſe adeſſe reſpondent, & cum tremore ei obediunt, qui niſi Deus eſſet, tantam authoritatem non haberet, non diceretur Deus noſter eſſe, Chriſtum autem eſſe Deum hunc, qui cœlo & terræ imperet, quem Propheta Deum noſtrum diſertè teſtatur, inde ipſa luce clarius fuerit, quod Propheta eum poſthæc in terris viſum, & cum hominibus conuerſatum eſſe teſtetur. Vides enim, aut ſi furore tuo obcæcatus nõ vides, vide & aliquid bonæ mentis induc, vides inquam Prophetam illũ, quem omnia condidiſſe, cui omnia parerẽt, quem tremerent, cui vocata

Iob 38.

Chriſtus in terris viſus, cum hominib. conuerſatus, habitauit in nobis, ait Ioannes.

ſe adeſſe reſponderent, à quo diſcipli na Iacob Patriarchæ data eſſet, quem noſtrum Deum eſſe dixiſſet, cum ipſum in terris poſterius viſum, & cum hominibus conuerſatum eſſe teſtari: ſcimus Deum patrem neminem vidiſſe, ſcimus eũ cum hominib' in ſua ſubſtantia & maieſtate conuerſatum non eſſe, per angelos & Prophetas locutum eſſe, Chriſtus eſt filius DEI, qui in terris viſus, qui cum hominib. conuerſatus, per hunc Deus pater nobiſcum poſtremum loqui voluit, per hunc ſuam voluntatem nobis expoſuit: multifariàm inquit Paulus, multiſque modis, Deus locutus eſt, Patribus noſtris, nouiſſimè locutus eſt nobis in filio ſuo vnigenito, quem ad nos carne noſtra indutum miſit, quẽ hominem & carnem noſtram eſſe voluit, hic eſt ille Deus noſter, qui in terris viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus, quibus vt Dei patris commodiùs voluntatem exponeret, vt abſque metu accedi poſſet homo, & frater noſter eſſe voluit, nobiſcũ conuerſatus, nobiſcum loquebatur, edit,

bibit,

bibit. In ſimilitudinem enim hominis factus, & habitu inuentus vt homo, ad cuius exemplum vitam noſtram Paulus nos componere iubet, hoc ipſum inquit, ſentite, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus, ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, humiliauit ſemetipſum, & factus eſt obediēs Deo patri vſque ad mortem, mortē autem crucis: propterea venit in mūdum, propterea cum hominibus cōuerſatus, vt nos humilitatem, ſine qua nemo ad Deum patrem venire poteſt, doceret: Et propterea nos ipſe monet, vt ab eo humilitatē & modeſtiam diſcamus. Cum igitur eſſet Deus, maieſtate Deo patri par, lucemq; eius oculi hominum nō ferrent; Deus autem pater, cum legatum eſſe ad nos ſuum vellet, vt legationem commode obiret, lumen oculis noſtris, diuinę maieſtatis ſuę non ferendum, carne noſtra contexit, & id quod nos ad ſe alliceret, nobis oppoſuit: quod noſtram infirmitatem aut terreret, *Cur Chriſtus carnem aſſumpſerit.*

aut enecaret, tectum eſſe voluit: Homo cum hominibus locutus, interim tamen, quod in humana natura celabat, opere demonſtrabat, ſe ſcilicet Deum eſſe, qui homo videretur eſſe, inde illa, quæ Dei ſolius ſunt facta eius, ægrotos curare, mortuos ad vitam reuocare, peccata remittere, arcana cordis videre, maria calcare, tempeſtatibus & fluctibus imperare, panes & piſces augere, dæmonibus imperare, & alia quæ non hominis, ſed Dei ſunt: ita enim homo eſſe voluit, vt quod ab æterno erat, homo factus maneret, & vt ita ſua diuinitas in carne lateret, vt tamen virtutem ſuam in agendo demonſtraret: ea enim Chriſtus geſſit, quæ nemo hominum agere poteſt: ἀδύνατα ſunt apud homines, lumē natis cœcis dare, morbis abſentibus imperare, tot millia hominum paucis panibus paſcere, & alia quæ ille geſſit: & tu inſanum caput inter ἀδύνατα, vnionem naturarū duarum, in vna eius perſona eſſe, clamare non ceſſas, cum in eo, & quę hominis ſunt, & quæ Dei reluceant. Ne

Signa diuinitatis Chriſti in carne latentis

mo

mo inquit Nicodemus, hęc facere po
teſt q̃ tu facis, niſi fuerit Deus cũ eo.
Agnoſcebat Doctor ille, etſi tardior
ingenio, virtutem eã qua Chriſtus v-
tebatur, diuinã eſſe, videbat quidẽ ho
minem, loquebatur cũ eo, admiraba
tur tamen virtutẽ in exercendis ope-
ribus: opera Chriſti Petrum coegerãt
vt diceret, tu es filius Dei viui, nõ Pro
pheta, non Helias, nõ Hieremias, aut
Ioannes Baptiſta, quod alij putarunt,
ſed inquit, filius Dei viui. Admiratus
Thomas mirandã reſurrectionẽ eius,
exclamauit, Dominus meus, & Deus
meus. Quem igitur Apoſtoli Deũ cõ
fitentur eſſe, tu audes Deum eſſe ne-
gare. Dic rogo, túne an illi, qui cũ eo
vixerunt, quẽ viderunt, quem audię-
runt, quem manus eorũ attractarũt,
maiore digni ſunt fide; tuáne maior
quàm illorũ authoritas hic erit? illos
duces, Doctores & magiſtros fidei &
religionis habemus, horum doctrinã
totus probauit & complexus eſt mũ-
dus: tu verò homo, ſi homo tamen
dici mereris, es vagus, vanus, inſanus,
& cui nihil vſquam probatur, qui

omnes religionum ratiões damnes, diſciplinam chriſtianam tyranni dem voces, illorum diſcipuli ſumus, illi nobis Chriſtum Ieſum, Deum verum, & hominem verum tradiderũt, vnitam naturam vtramque in eo, & ipſi præſentes cognouerunt, & nobis teſtatum hoc reliquerunt, non modò Deum, ſed magnum Deum, Chriſtum Ieſum Paulus vocat, quem in iudicium cum maieſtate illa ſua, cui vt furioſus canis oblatras, venturum nobis promittit: Agnoſces impurum os eum, quem videbis hominem pro Tribunali ſedentem Deum eſſe, & Deum illum magnum, quem inuentum eſſe mentiris Romanum, agnoſces in Chriſto vnionem eſſe duarum naturarum, humanę & diuinę, quod Eſaias, antequam Roma Chri-
Eſai 9. ſtum audiſſet, fore prędixit: Audi enim quid dicat, paruulus, inquit nobis natus eſt, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſęculi, princeps pacis:
Vide

Vide quæſo, quis hic à Propheta de ſcribitur? non ignoras populum Dei ab hoſtibus vicinis, ſæpè ob peccata & præuaricationes afflictum, & ſeruum impiorum factum, quo graui iugo cum teneretur, clamauit ad deum, opemque benignitatis & potentiæ eius ſæpè in hoc genere caſuum expertus, implorauit. Quid igitur dominus, qui neſcit claudere viſcera miſericordiæ ſuæ? promittit illi præſidium, promittit ſe iam nō Gedeonem, qui trecentorum ſubſidio adiutus, Madian profligauerit, populum ſuum liberauerit, vel alium quemuis ducem, ſed filium ſuum, qui omnium calamitatum cauſam peccatum ipſum diſſolueret, & Iſrael è faucibus tyranni ſathanæ, qui & in animas hominum peccato, & in corpora armis & bellis deſæuiſſet, eriperet, ſe miſſurum, quem quidem filium Eſaias, per quem tum Deus populo ad ſe clamanti loquebatur, his quæ audiſtis verbis deſcribit, & primum humanitatem eius, quam è virgine Maria accepturus erat, explicat: Paruulum natum

Eſaias humanitatē & diuinitatē Chriſti deſcribit in vna hypoſtaſi.

eſſe nobis dicens, vt hominem verũ eſſe demonſtret: Paruulus, igitur ait, natus eſt nobis, paruulus erat Chriſt⁹ Ieſus, cum ex vtero matris ſuæ prodiſſet, cum pannis inuolutus, in præſepio repoſitus eſſet: ſed vide qui ille erat, quem paruulum pannis paſtores inuolutum in præſepio reclinatũ viderint, non ſimplex homo, ſed fili⁹ Dei patris ætern⁹, Deus de Deo, lumẽ de lumine, cui angeli naſcenti in carne aſſiſtunt, Gloria in excelſis DEO canunt, & in terra hominibus pacem nunciant, luceque omnia, quòd lux nobis æterna illa nata eſſet, illuſtrãt, noctemque in clariſſimam diem vertunt, quod ſignum non hominis, ſed filij Dei in carne nati erat, ob idque Saluator ab angelo eis natus eſſe nũciatur: ait igitur Propheta & paruulum hominem natum, & filium nobis datum, altero humanam eius naturam, altero diuinam demonſtrans, filium non hominis, ſed DEI patris; auxilium populo mittentis ſuo oſtendens, quod cum dixiſſet, & duarum naturarum in vna hac naſcen-

ſcente de virgine Maria hypoſtaſi, coniunctionem demonſtraſſet, qualeimperium eius, ad quod capeſſendum, à Deo patre veniebat futurum eſſet narrat. Cuius, inquit, imperium ſuper humerum eius, non ocioſum, non luxui dicatum, ſed laboris & certaminis plenum, contra principem huius mundi ſuſceptum, crux illa quam moriturus humero ſuo vt homo ſuſtulit, in qua ſtans hoſtem noſtrum profligauit, chirographum nobis aduerſum ei eripuit, ac ſuo ſanguine deletũ, cruci ſuæ affixit, in quo omnes poteſtates per ſe vt Deus triũphauit, & captiuã captiuitatẽ in cœlũ ſcandens abduxit: imperiũ eius eſt, illa infirmitas crucis, quæ hoĩs eſt, vt poteſtas triũphi eſt Dei, vnꝰ ſtabat in cruce Chriſtus, duo tamen agit, nam cruci affigitur vt homo, hoſtem vincit vt DEVS; quod vtraque natura eius, in vna hypoſtaſi, in cruce ſtaret, & altera vincebatur, altera vincebat: Pergit Propheta de eo magnificè, vt decebat, concionari: *Regnum Chriſti.*
admi-

admirabilem vocat, & vocabitur nomen eius admirabilis, quod accidit, & ob partum mirãdum virginis, quæ ſine viri coniunctione eum conceperit, virgoque æterna maneat; tùm ob ea, quæ dum nobiſcum verſaretur, egerit quem homines, & tum eum intuentes admirabantur, & nunc audientes venerantur. miranda illa Lazari ad vitam reuocatio, miranda populi multi paucis panibus ſaturitas: meritò igitur admirabilis, & quoniam conſilium nobis daret, iterque veritatis demonſtraret, vtque veteri homine exuto, nouum induceremus, ad vitam à morte feſtinemus: conſiliarium vocat, illius doctrina conſilium noſtrum eſt. Et quoniam Spiritus ſanctus Deus æternus, ſapientia omnipotens, & omnia ſciens, te cum tui ſimilibus nequam hominibus, Sathanæque miniſtris prouidit fore, q hoc ſcelus ꝙ nunc profudiſti, vrgeres, hominemque Chriſtum tantum eſſe latraturus eſſes, ſubdit: Deus fortis, pater venturi ſeculi, princeps pacis, Deum apertè paruulum illum nobis

nobis natum, nobiſque datum per os Prophetæ teſtificans eſſe, vt populus Iſrael ſciret, nō quemuis ducem, contrà ſuos hoſtes ſe habiturum, ſed ipſum Deum cuius potentiæ reſiſtat nemo. Ait igitur Propheta: Deus fortis, & quoniam mundum renouaturus erat, atque hominis peccato corruptam naturam reformaturus, patrem futuri ſeculi appellauit; ille enim nos verbo veritatis ſuæ genuit, ille refecit, pacemq; nobis cum Deo patre confecit, per hunc iuſtificati pacem habemus ad Deum patrem, hic eſt pax noſtra, & vita noſtra. Quod cū ita ſit, quo ore tu audes negare, in vna hac hypoſtaſi duas naturas coniūgi potuiſſe, qua impudentia Romanos & idololatras confinxiſſe eam vnionem affirmas: Eſaias eſt qui hæc ita iuncta teſtatur, qui diſertis verbis Deum patrem populo ſuo, ducem eum aduerſus hoſtes ſuos miſſurum, qui Deus & homo eſſet, promittit: quem propterea & paruulum natū vocat, & filium Dei patris, ipſumque Deum eſſe teſtatur, eundem illum paruu-

paruulum quem dixit nobis natum
eſſe, filium DEI eſſe teſtatur: Et
ne tu pro tuo ſcelere filium hominis
fingas, ſubdit ſtatim, Deus fortis, &
pater futuri ſæculi, princeps pacis: Ita
tuo mendacio nullus apud Eſaiam
locus relictus, Chriſtus eſt Deus ve-
rus, & homo verus, vna perſona dua-
bus naturis conſtans, quem Deus pa-
Eſai. 42. ter per eundem Prophetam alio lo-
co dediſſe ſe teſtatur in fœdus popu-
li, & authorem & principem pacis in
ter ſe & nos, qui ſublato peccato, qđ
cauſa inimicitiarum inter nos & De-
um fuerit, fœdus æternum nobis cō-
ficeret: Dedi te in fœdus populi, in lu
cem gentium, vt aperires oculos cœ
corum, educeres de concluſione vin
ctum, de domo carceris, ſedentes in
tenebris: quæ omnia non hominis
puri ſunt, ſed eius qui idem Deus ſit,
nemo hæc facere poteſt, niſi Deus fu-
erit cum eo, non humanæ opis eſt,
cœcis lumen dare, lucem gentium
eſſe, vinctum peccatis populum, è ſa
thanæ carcere & vmbra mortis edu-
cere, Dei hæc, Dei opera, quæ quod
Chri-

Chriſtus exerceat, Deus eſt, homini puro non conceditur, hic tantus honor ꝙ ipſeDeus pater ſtatī teſtatur dicens: Gloriam meam alteri non dabo,& laudem meam ſculptilibus, at Chriſto filio ſuo,paruulo illi,qui nobis natus,hanc gloriam ſuam dedit, qui cœcos illuminauit, claudis greſſum reſtituit, mortuos ad vitam reuocauit & infinita alia, quæ non niſi gloriam Dei ſpirent,fecit; quo honore,quod cum Deus pater decorauit,quod ſuam illi poteſtatem tradidit,Deum eſſe, & eundem Deum cū DEO patre neceſſariò conſequitur: Gloriam,inquit,meam alteri non dabo. Atqui Chriſto hanc gloriam dediſti,quod tuum eſt, illi conceſſiſti? reſpondet Deus pater, Chriſto filio meo dilecto, in quo mihi complacui hāc gloriam meā dedi, per quem oīa operor,ſine quo nihil ago, q nō alter à me eſt, ſed vnus & idē in ſubſtantia Deus,hypoſtaſi alius:concludo,Deū patrem gloriā ſuam Chriſto dediſſe, Iſaiam Deum appellaſſe. Quod cum ita ſit,Chriſtum eſſe Deum, & eundē *Eſai.42.*

cum patre ſuo in ſubſtantia Deum: & vt vna ſubſtantia vtriuſque ſit, ita vna & eadem gloria & poteſtas vtriuſque eſt; Chriſtus igitur, cui ſuam gloriam Deus & potentiam dedit, Deus homo eſt, in hypoſtaſi cuius naturam diuinam & humanam coniunctam eſſe, nemo niſi tibi ſimilis mendax inficiari audebit, iam ſi illa ſpectes, quæ de Conceptione eius dicuntur, qua fronte negabis, vtramque naturam in eo coniunctam eſſe? Si homo tantum futurus erat Chriſtus, quid opus erat illa tanta Oeconomia in eius conceptione? Accedit angelus, ſalutat, gratiam diuinam Beatæ virgini nunciat, concepturam in vtero, & parituram filium, & quo nomine vocetur, narrat: Concipies, inquit in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Nec ſat erat angelo hæc dixiſſe, niſi etiã qualis & quis futurus eſſet, enarraſſet, hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Quid etenĩ hęc tã diligẽs & accuratè expoſita oratio angeli, vult, niſi Chriſtũ Ieſum eſſe & verum hominem,

nem, qui in vtero beatiſſimæ virginis concipiatur; & Deum eſſe, vt qui filius altiſſimi ſit, filius enim Dei, nō niſi Deus eſſe poteſt. ſi enim tu ex homine natus, hominem etſi improbatiſſimum, hominem tamen referas; qui fieri potuit, vt qui filius Dei ſit, non ſit ipſe Deus, & dabit, inquit, illi Dominus Deus ſedem patris eius Dauid, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis, vbi ſi animum intendas, non dubitabis, nobis ab Angelo & hominem verum, & Deum verum parituram virginem Mariam Chriſtum. Nā quod ſedes patris Dauid illi promittitur, humana eius natura monſtratur, filius Dauid fore narratur, cui dictum à Domino, de fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam: Vnde illæ voces clamantium, & miſericordiam implorantium, Fili Dauid, miſerere mei: Et, Oſanna filio Dauid, & aliæ multæ. Hinc Paulus filium hunc Dei *1. Ad Roma.* factum eſſe ex ſemine Dauid, ſecundum carnem teſtatur. Sed ad angeli orationem redeo. Et regnabit, inquit

in domo Iacob in æternum, quæ verba, & humanitati Chriſti ſeruiunt, qui à Iacob ortum habeat, & diuinitati, quod regnum eius æternum eſſe dicatur. Regni enim Chriſti æternitas diuina eſt, quæ humanitati eius iuncta, æternum regnum eius reddidit, purus homo in æternum non regnat, morti obnoxius, at regni Chriſti, vt Dei nullus eſt finis, regnat, regnabitq; in æternum, & calcabit pedibus ſuis hoſtes ſuos & canes ſuos, & calcaneo ſuo obteret ora eorum, inter quæ, vel præcipuè tuum, ſcelerate homo, qui cum tãto furore gloriam eius inuaſeris, iam illa quò ſpectant? Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Vides enim Oeconomiam diuinæ huius conceptionis, Spiritus ſanctus cõceptum fouet, virtus altiſſimi omnia operatur, gubernatque, non ſimplicis hominis ea conceptio eſt, diuina myſteria hæc ſunt, diuinum partum, hominem Deumque effuſura in mũdum, & propterea angelus ſubdit: ideoque, & quod naſcetur ex te ſan-
ctum

ctum;vocabitur filius Dei, ſimul nobis exponens & hominem,& Deũ pa rituram virginem Mariam:Ex te, inquit, vt homo ex homine naſcetur, &non quiuis homo,ſed ſanctum,no uo modo ſpiritu ſancto operante, & conceptũ fouente,ac ſanctificãte, naſcetur:& ne dubitemus ſanctũ illud, quod naſceretur Deum eſſe, ſtatim ſubdit,vocabitur filius altiſſimi, naſcetur homo ex te, non tamen purus homo,ſed Deus & homo,Deus, qui ex vtero tuo carnem aſſumpſit, vt non modò hominis, ſed & Deipara dicaris,vt mater Domini appellaris; quod Elizabeth cognata ſtatim fecit, quæ beatam virginem ſe ſalutantem matrem Domini ſui appellauit, dicens:Et vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me, non ſimplicis illa conceptionis ſunt argumenta,prophetia Elizabeth, & puer exultans in vtero matris ſuæ, matris Domini, quem monſtraturus mundo naſcebatur voce audita: maiora hic teguntur myſteria, quàm tu canis impure,videre ea queas, DEVS &

homo erat, vtramque naturam in vtero matris coniunxerat, Deus & homo in vna hypoſtaſi in mundum proditurus, verbum caro factum eſt, inquit Ioannes, habitauit in nobis, & vidimus gloriàm eius quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis: hoc verbum in mũdum prodijt, hoc cum hominibus verſatur, per quod verbum omnia facta ſunt: caro factũ, cum hominibus conuerſatum eſt, vt Baruch promiſit. Non refero infinita teſtimonia ſcripturarum, non produco Paulum, Deum magnum Chriſtũ Ieſum, Deum benedictum, per quẽ, & in quo omnia eſſent, appellantem: non ignorat malitia tua verſute ſerpens, quæ & patres canibus illis veteribus, è quorum ſanguine, vel potiùs vomitu tu procreatus es, reſponderunt, & quid recentiores tibi, tuique ſimilibus reſpõdeant. Verſatus es in ſchola Caluini, quæ non negligenter articulum de Trinitate perſonarum tuetur, ac ita tuetur, vt à Patrum ſanctorum dogmate, ne tantillum diſcedat, integrè & caſtè à Romanis, quãuis

Caluini de Trinitate articulum cum Eccleſia Romana tuentur.

uis eos non minus quàm tu oderit, hanc doctrinam conſeruatam teſtatur, quod equidem tu moleſtè fers, & eum conſenſum tuendę veritatis miraris, ac deteſtaris, vt exordia tuæ iſtius, quam refellimus doctrinę, teſtantur potuiſti, vel inde quæ de Trinitate perſonarum, quæ de diuinitate verbi, & Spiritus ſancti è ſcriptura ſacra afferantur, meminiſſe, niſi ſathan te excœcaſſet, teque totum occupaſſet, veritatiſque lumen tibi adumbraſſet, nihil igitur vltrà addo, ſatis diſertè, quæ diximus, diuinitatem Chriſti teſtantur, ſatis docent, in vna eius hypoſtaſi, duas naturas coniunctas eſſe, Deum verum & hominem verum virginem Mariam peperiſſe, & propterea Deiparam meritò vocari: non excutio mendacia tua, quibus ingreſſum tertij tui Critirij muniuiſti, delatrans quartum Deum à nobis fabricatum eſſe, vnus & idem filius Dei eſt Chriſtus Ieſus, qui eſt ab æterno Deus, quem pater nouiſſimis temporibus ad nos miſit, quem hominem eſſe voluit, per quem nobis poſt Prophetas

Francken à dæmone excæcatus.

phetas ſuos loqueretur, & colonos ſuos, qui ſeruos ad ſe miſſos, vel non audirent, vel comprehenſos nephariè occiderent, per vnigenitum filium ſuum hæredem & dominum ad officium reuocaret, in quem tu canis furioſior illis, qui eum in crucem egerunt, quod totam inſaniam tuam, omnes blaſphemias tuas profuderis, cogita non impunè te, tantum ſcelus & hic, & in futuro laturum, agnoſces in quem vomas, in quem pupugeris, cui caninos tuos dentes infixeris, quod Dei munus eſt, quod ille per Spiritum ſanctum in vtero ſacræ virginis operatus eſt, quem Deum & hominem naſci voluit, hominibus non feras acceptum, non hominibus, ſed Deo mentiris: teſtatur angelus authorem coniunctionis naturarum in Chriſto Deum patrem ipſum, qui Spiritum ſanctum ſuum, virtutem ſuam, ad id efficiendum miſerit, eſſe, Dei eſt donum, non hominum inuētum, Chriſtum ſimul hominem & Deum in vna hypoſtaſi eſſe, Deum & hominem, Deus pater in terris videri, &

Matth. 22.

ri, &

ri,& inter homines verſari,ac ita mũdum reconciliari ſibi voluit: Deum patrem in filio Chriſto Ieſu habitaſſe Paulus teſtatur,dum ſibi mundum reconciliaret. Et nec per hominem ſolum,nec per Deum ſolum, ſed ſimul per hominem & Deum eam reconciliationem confici voluiſſe, qđ tu quoniam inter illa quæ indiſſoluta argumenta vocas, euertere conaris,eo in loco tibi reſpondebimus,& quam impudentia tua illa argumenta ſint,demonſtrabimus, non hominum impudẽtiſſimum os, callidum, ſed Dei ſapientiſſimum conſilium fuit,non ad decipiendos,ſed ad inſtituendos & ad veritatem vocandos, inuentum fuit: neque enim nos maieſtatem filij Dei audire videreq́ue poſſemus, ſine humanitate ei cõiuncta, prius quàm ille nos ſanaret, periſſemus,nemo Deum in ſua maieſtate videre potuit, quin ſtatim moreretur. Non poterant Iudęi vocem Dei audire,rogarunt Moyſen, vt ipſe cũ eis loqueretur, voluntatemq; dei eis exponeret. Vt igitur per Moyſen hominẽ *Exodi 23.*

Deus cum Iſrael loquutus eſt, ita nouiſſimis temporibus per filium vnigenitum, hominem factum loqui voluit, vt nobis ad eum audiendum maior facultas eſſet, ſi angeli acceſſus & ſermo homines ſanctos tantum terruit, quantum territos eſſe legimus, quantò magis terruiſſet vox illa diuina filij Dei, niſi vt homo nobiſcum loqueretur, tota frons iſta Critirij ter tij tui impudens, & mendacijs inſtructa eſt, qua conſputa ad alia veniamus, & an coniunctio duarum naturarum in Chriſti vna hypoſtaſi ἐκ τῶν ἀδύνατον ſit, vel tuo ipſius exemplo inquiramus: alia eſt natura animorũ, quorum cœleſtis origo eſt; quod gentium ſapientia etiam docet: alia corporum, quam terrenam eſſe omnes fatentur, inde illud diuinum dictum: Terra es, & in terram reuerteris, corpora caduca & morti obnoxia ſunt, animi æterni, ab omni corruptione liberi: diuerſa natura ſpiritus eſt à carne, atqui tam diſtantes, & differentes naturas in vna hypoſtaſi coniun-

Cur in humanitate nobiſcũ Deus voluit loqui.

Origo animorum.

Geneſ. 3.

Animorum et corporum coniunctio.

ctiſſi-

ctiſſimas eſſe, videre eſt: ac ita coniun ctas, vt ægrè altera ab altera ſegregetur, quod in morientibus facilè videre eſt, vbi nec corpus velit dimittere animam, nec anima libenter à corpore ſecedit, luctantur vitam agentes, toties anima in corpus recurrente, & curſum quem inſtituerat reuocante, permanereque in eo diutius conante, quæ coniunctio diuerſarum naturarum, cum in te non abſurda imò conſentiens ſit, quæro cur cōiunctio diuinæ naturæ cum humana in hypoſtaſi Ieſu Chriſti impoſſibilis tibi videatur, ſi anima quæ Spiritus eſt, corpori terreno cohæret, & arctiſſimè cohæret, cur Deus homini non cohæreat? Cur quæſo illi non coniũ gatur, vnamque hypoſtaſim non red dat? Quis animum corpori coniunxit, quis ſpiraculum vitæ figmento il li luteo, qui primus homo appellatus inſpirauit? Deus; quis animos cor poribus alligauit, Deus: ſi hoc potuit, quæro, cur etiam diuinam naturam ſuam coniungere humanæ non potuerit, an quod non eſſet omnipo-

tens, an quod noluerit, non potuiſſe eum non dices, omnia enim poteſt: noluiſſe ſi negaris, facilis refutatio te meritati tuæ opponetur: Miſſus angelus, inquit Euangeliſta, ad virginem, qui nunciat eam concepturam in vtero è ſpiritu ſancto, & cum illa quæreret, quomodo hæc conceptio fieri poſſet, potētiam Dei allegat, Spiritus ſanctus inquiens ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi: virtute Dei tua anima tuo corpori cohæret, eius potentia, eius ſapientia, animi corporibus cōiunguntur, ac vnam & eandem indiuiſamq́; hypoſtaſim reddunt: eadē virtus Dei & ſapiētia humanam naturā, ita diuinę naturæ in Chriſto cōiunxit, vt vnus & idē ſit Chriſtus, vt diuinitas eius nunq̃ humanitatē eius relinquat: arctiſſima enim hæc eſt cōiunctio naturæ diuinæ cū humana, arctior multò quā animi cū corpore. Reliquerat anima corp⁹ in cruce mortuū, diuinitas ipſa & corpori, & animæ ad inferos deſcendēti, præſēs aderat, nunq̃ Chriſti diuinitas humanitatem eius deſerit, ſemp illi adeſt

Coniunctio diuinitatis cū humanitate arcta.

adeſt, ſemper cum illa coniunctā manet, ita enim verbum caro factū eſt: vt vnus & idem Chriſtus ſit, nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vn⁹ eſt Chriſtus, vnus quidem non diuinitatis cōuerſione in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum, vnus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ, vt è Conciliorum authoritate, Catholica aſſiduè canit Eccleſia. Duæ ſunt in te naturæ Francken, altera ſpiritus quæ anima eſt, altera carnis quæ terra eſt, quæ ita coniunguntur, vt tu vna hypoſtaſis, & vna perſona fueris, niſi fortè monſtri aliquid alas, & quemadmodum nouā religionem parturias, ita nouo modo natus, cōiunctionem duarum naturarū in te nō admiſeris, quod equidem non alienum à fide: eſt enim, ſi mens illa, quæ originis diuinæ eſt, ſi ſpiraculum id, quod Deus homini inſpirauit anima tua eſſe, agnoſceret, Deum vt eſt, agnoſceret Trinitatem perſonarū diuinarum, quarum imaginem in ſe relucere cerneret, quę cū
vna

vna ſubſtantia ſit, tribus tamen pote ſtatibus inſtructa, vegetandi, mouendi & intelligendi, quarum ſingulæ ſuas & diſtinctas operationes habeant, alia poteſtas animæ eſt, quæ vitam corporibus infundit, atque ea vegetat, alia quæ mouet, alia quæ intelligit, quæ tamen omnes poteſtates, vna anima, vna ſubſtantia ſunt, vnde ſi tuo impuro corpori anima ea coniuncta eſſet ſi in eo habitaret, facilè te doceret, in diuinis vnam ſubſtantiam quidem eſſe, & vnum Deum, ſed in perſonis trinum, admoneret te coniunctionis ſuę cum tuo corpore, & eam coniunctionem non eſſe impoſſibilem demonſtraret tibi, doceret te diuerſam quidem animæ naturam, à natura corporis eſſe, ſe tamen ita cum eo coniunctam, vt ſeparari, ſi lex naturæ pateretur, nūquam vellet: moueret te vnum duabus naturis conſtantem, vnam hypoſtaſim eſſe, quod quoniam non facit, credibile eſt te non animo & corpore conſtare, ſed anima, quæ eſt imago Dei exturbata dæmonem te occupaſſe,

tuo-

tuoque corpori coniunctum eſſe, ac ita in te habitare, vt in Iuda tradito-re habitauerit. Non ignoras, quemo-do ille in Iudam intrauerit, quam præcipitem in Chriſti interitum ege-rit, quam eum reſpirari non ſineret, quàm ad laqueum pronum egerit, nihil anima Iudæ potuit, quæ vi illa ſathanæ tenebatur, ſathan os eius, cõſilia eius, cupiditates eius regebat, ip-ſum quò vellet, agebat, adeò vt Iu-das, non iam quod vellet, ſed quod à diabolo in ſe pro ſua anima, omnia gubernante cogeretur, faceret; qui i-dem Francken in tuo corde corpora-liter ſedens, linguam tuam non vt tu velis verſat, Deum conditorem ſu-um & tuum blaſphemare impellit, mentiri te cogit, non tu ſcribis, non tu loqueris blaſphemias in Trinita-tem tremendã, ſed ille ipſe ſathã, qui Deo conditori ſuo hoſtis factus, qui filium Dei ſibi præferri indignatus, ſe de ſua ad Aquilonem poſita, æqualis Deo altiſſimo eſſe voluit, qui quod inde deiectus, quòd pœnas dederit, Deum vlciſci ſemper conatur, cuius nun-

Francken pro anima dæmone vtitur.

nunquam acrior impetus eſt, quàm
Vis dæmonis quando viget cum in perditi hominis vaſe conſede
rit, cum os impurũ nactus fuerit, qua
lis tu es. Poſt Iudam enim & Simonẽ
Magum, aptius inſtrumentũ filij Dei
& ſpiritus ſancti oppugnandi nunq̃
habuit, in te vt in arce munitiſſima ſe
iactat, miſerum te, qui iſtam ei⁹ mali-
tiã fraudemq; non ſentias, ille te trãſ-
uerſum agit, ille mentiri impudenter
Ioan. 8. te cogit. Scis enim eum eſſe ab initio
mendacem, & patrem mendacij, ſcis
eum in veritate nunquã conſtitiſſe, &
tu tibi places, ſi tam diſertè per os tuũ
mentiatur, videris tibi magnus & be
atus, cũ ſis omniũ miſerrimus, liber-
tatem iactas, qui tyrãnum crudeliſſi-
mum in viſceribus tuis, in corde tuo,
Adhortatio Francken. in lingua tua ſedere patiaris. Recipe
mentem ô Francken, redi ad Chriſtũ
Ieſum, pœnitentiam age ſceleris tãti,
ne fortè miſereatur tui Deus, teq; à tã
to tyrãno liberet, ſpirituq; ſuo ſancto
cor tuum purget, & vas domui ſuę a-
ptum reddat: Sed video nihil monen
do me agere, nihil Petrus egit monẽ-
do Simone perdito, non modò nõ e-
git

git Simon pœnitentiam, ſed multò deterior, & hoſtis Chriſti factus, arcti us te vinxit tyrannus ſathan, quam vt tu pro tua vanitate eius frenos infrin gere valeas, arctiſſimo vinculo alliga tus, & tu miraris & impoſſibilem cõ-iunctionem diuerſarum naturarum in vna hypoſtaſi eſſe aſſeris, cum dæ-mon, cuius natura non ſolũ diuerſa, ſed etiam planè aduerſa humanæ na-turę ſit, tibi ita arctè cõiungatur, vt iã non homo, ſed diabolus natus eſſe vi dearis, ita te obſidet, ita in te ſe iactat vt tua ſcripta, non tua, ſed illius qui in te loquitur, ſint: nam vt in filio De us pater loquebatur, & doctrina illa filij, non filij, ſed patris eſſet, ita in te ſathan apertè loquitur: doctrina tua, non eſt tua, ſed eius, qui linguam tuã verſat, diaboli eſt. Nemo enim tam impudenter, tam apertè, tam improbè vel mentiri, vel Dei Opt. Max. no-mẽ blaſphemare, vel poſſet, vel aude-ret, diaboli verba audimus, diaboli eſ-ſe mẽdacia tua agnoſcimus, hũc tibi magiſtrũ & ducem cepiſti, huius frau de aduerſus Deũ patrem & filiũ eius,

Duæ naturæ diuerſæ in Frãcken coniũctæ contra quam ille ratiocinatur.

Doctrina Frãcken, et doctrina ſathanæ.

& ſpi-

& ſpiritum ſanctum abuteris, huius tu hortatu veritati reſiſtis, religionē Catholicam turbas, & fideles à veritate auertere conaris, plenus es dolo
Act.13. ſathanæ & omni malitia, filius es, vel potius mancipium ſathanæ, qui, vt ſubuertas vias Domini rectas, te vrget; quam fraudem eius ne videas, oculos mentis tuæ excœcauit, & ita concluſit, vt nunquam Solem veritatis videas, Deum tuum vt hoſtis oppugnes, nomē eius ſanctum blaſphemes; ſed ecce manus Domini ſuper te, quæ te diutius in tuo ſcelere, iactare nō patietur, pœnas debitas à te expoſcet, tuum os iſtud impurum con-
4.Reg.18. cludet: dedit Sennacherib pœnas bla-
& 19. ſphemiæ ſuæ in Deum: grauiter An-
2.Mach.9 *Vide Ioſephū* tiochus & Herodes, cæterique impij afflicti ſunt, lōganimis & patiens Deus eſt, dat tibi tempus reſipiſcendi, exſpectat vt errorem tuum agnoſcas, & ad ſe redeas, vt ſanet te, tu verò iram eius tibi in diem iræ & iudicij theſaurizas, ſed fruſtrà tuam inſaniam deploramus; deploramus tamen, qđ te fratrem noſtrum perire videamus.

Frater-

Fraterna charitas in querelam hanc erumpit, & te pereuntem miſeratur: Ad tuum Critirium redeo, & quibus argumentis vnionem duarum perſonarum in Chriſti Ieſu hypoſtaſi ἀδύνατον eſſe monſtres, excutiam: nullus, in quis non videt, niſi qui ignorat eſſentiam re non diſtingui ab exiſtentia, & hanc contractam ad perfectam ſubſtantiam, hypoſtaſim, vocari vel ſubſtantiam, ad partes verò ſubſtātię deductam nominari inexiſtentiam, ad accidens autem deriuatam nominari inhærentiam: Hæc tu vt tibi videris argutè, ſed quæro, vnde tam elegantem, tam ſplēdidam eſſentiarum partitionem produxeris. Quis Philoſophorum Oratorúmve ita locutus; non Platonis equidem, non Ariſtotelis inuentum eſſe video, ex Cicerone te hauſiſſe eam credo: quid enim tam elegans verbis, tam graue ſententijs inueniri tua iſta partitione poteſt? atqui tu impudēs os, ſcholaſticos, quorum capſas compilaueris, improbas; vnde iſtæ tuæ deliciæ, nónne eorùm qui in ſcholis ſibi ſuo arbitrio voces

fingant? quorum cum proditor ſis, ar‑ma tamē ab eis petis, & ex eorū ſcho‑lis, aduerſus quam illi defendunt, ve‑ritatem præſidia euocas; robuſtum telum eſt partitio iſta tua eſſentiæ, quod cum in Chriſti hypoſtaſi emiſe‑ris, naturas eius diſſecueris, & duos chriſtos ex vno efficies, alter erit Chri‑ſtus homo, alter Chriſtus deus, quod
Epiph. 28. cō. trahæreſes. Cerynthus, authore Epiphanio, men‑tiebatur, & equidem ſi Deus pater cū filium ſuum hominē fieri vellet, an‑gelumq́; ad virginem cum eo nūcio mitteret, haſtas tuas iſtas vidiſſet, nū‑quam Spiritum ſanctum ad hæc my‑ſteria conficienda ad diuinam natu‑ram humanæ iungendam miſiſſet, & virtutem illam ſuam, quæ myſteria hæc filij ſui incarnatiōis gubernaret, periclitari non auſus fuiſſet: quid age‑bas, vbi eras, cur non ſtatim angelo veniēti occurreres, cur haſtas iſtas tu‑as amentatas, amens ipſe non vibra‑ris, cur Deum hominem verbū caro fieri paſſus es, vocanda erat ſtatim di‑uina eſſentia in diſquiſitionem, quo‑modo ex ijs quos recenſes vocari vel‑

ler,

let,quæreres: diceres eſſentiam ad varia deduci, varijſq; nominibus appellari, in nullo eorum modorum, vnioni naturarum diuerſarum locũ dari, ingredienti verbo Domini, vt carnem ſibi iungeret ἀδύνατι fores oppoſuiſſes, atq; hæc omnia myſteria, & cõſilia diuina diſcuſſiſſes, Chriſtumq; in vna hypoſtaſi duas naturas iũgere nõ permiſiſſes, quod quoniam fieri paſſus ſis, tuæ negligentiæ imputabis, nõ nobis; tua enim ſocordia hæc euenerunt, quæ tu pro tua ſapientia malè nexa à ſpiritu sãcto eſſentiæ diuiſiõis ignaro clamas, nõ noſtra calliditate, vt mentiris, cõiunctio hęc naturarũ, ſed cõſilio & ſapiẽtia Dei facta. Vide aũt, quã tu magnus ſis nebulo, ἀδύνατα clamas, neminẽ coniunctionẽ duarũ naturarũ in vna hypoſtaſi conceſſurũ aſſeueras, niſi ignarũ diuiſiõis eſsẽtię, q̃ cũ ſtrenuè verſares, acutè explicares, iamq; ad partes eã, iã ad accidẽtia traheres, & quaſi ex vna pharetra plura tela educeres, ſubſiſtẽtias, inhęrẽtias ĩ acie, vt duces locares in Chriſti vnionẽ impetũ iamiã factur⁹, & nos tu

argutis nugis oppreſſurus, ſtatim a ciem illam deſeruiſti, & tibi poſt principia cauiſti, ad ſangas neſcio quos, qui tuam domum inſaniæ plenam ſeruarent, te vertiſti, vt qui mihi vir in inſtruenda acie eſſentiarum viſus fueris, magnum nebulonem & thraſonem te eſſe aperueris: quorſum enim vanum caput, illa eſſentiarum inepta & barbarie plena partitio ſpectat, quid inde aſſumpſeris, quam cõcluſionem confeceris, itáne tibi vaniſſime homo digni videmur, quib' tam apertè illudas, quoſque ita contemnas: ignorare mihi videris Francken Polonorum ingenia, quæ tibi præter iſtos, qui iam dudum dementati, quique ſenſum omnem veri in religionem inquirendo, inter quos princeps incidis, & inter luſcos ſtrab' vt dici ſolet, regnas, amiſerunt: non tam tarda ſunt ingenia noſtrorũ hominum, vt tuam fraudem non agnoſcant, callidiſſimum Francken commentum noſtrum, & aptiſſimum ad homines decipiendos eſſe dixiſti, vnitas duas naturas in vna hypoſtaſi

Francken apertè hominibus illudit.

Francken ignorat ingenia Polonorum.

Chri-

Chriſti, quod tu tamē ἐκ τῶ ἀδύνατον eſſe aſſeruiſti, quod vt ἀδύνατον eſſe demonſtrares, ad eſſentiam eiuſq; prolem confugiſti, quæ præſidia quod vana videres, ſtatim deſeris, atq; ad ſangam, qui orbes tuos domi lingeret, euocādum refugiſti, & in Theologos impetum feciſti, ad accidentia panis & vini, ſacramentaque Euchariſtię orationem tranſtuliſti: in Caluinianos etiam, quorum tyrannidis vibices nondum tibi occaluerunt inuaſiſti: Simaliones & Syriſcos tuos paniculo mēdacij tui armatos in aciem produxiſti, atque vix tandem ad eſſentiam redijſti, credo quod nudior tibi viſa eſt, quam quæ impetum ſuſtineret, nec tibi in mentem arma, quibus eam indueres venerant, igitur vt nugatorium quid inuenires, mentem in omnes partes verſas, donec tandē tibi quæ in paradoxis nugatus eras de Sacramento Euchariſtię, occurrerint, noſq; Chriſti naturæ propriam hypoſtaſim detraxiſſe, & accidentia panis & vini in Euchariſtia proprio ſubiecto, propriáve inexiſtentia ſpo-

haſſ: te admonerent, vt hoc ſpolio noſtro tuam eſſentiam, quam vt nudam & imbellem reliqueras, induceres & armares, quod tuum impudẽs dictum, impudentiore altero cumulas, carnalem nos Deum feciſſe, vt nobis comedere & bibere eum liceret, clamas: nam propterea vnionem illã duarum naturarum, in hypoſtaſi ei' vna nos feciſſe ais, & tranſubſtantiationem ei rei adhibuiſſe, nos verò dicimus, nos Deum carnalem nullum feciſſe: neque enim noſtræ poteſtatis eſt, deos facere, neq; tu eũ qui omnia fecit, quem ipſe ſe eſſe voluit, alium facere tuis mendacijs, & argumentis Sophiſtarum poteris, Chriſtum Ieſũ, filium Dei æternum, à patre Deo æterno incarnatũ accepimus, & quem accepimus veneramur, & retinemus, pater filium ſuũ hominem eſſe voluit, eamq; Oeconomiam ſpiritui ſancto in vtero virginis ſacræ conficiendã commiſit, virtutem ſuam adhibuit, & angelũ nuncium ei' rei miſit, nõ nos igitur carnem humanam illi dedimus, ſed verbum caro factum, nobiſq;

Impudentia Francken.

biſq; à patre Deo miſſum accepimus, nec nos panem & vinum, in carnem & ſanguinem eius mutamus, ſed ille ipſe ſuo verbo, quo omnia condita ſunt, ſubſtantiam elementorum in carnem & ſanguinem ſuum vertit, quod apertè inter diſcipulos teſtatur, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur, tradebatur autem ille ipſe, qui hæc verba loquebatur Chriſtus: Hic eſt calix Noui & æterni Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur; nondum effundebatur Chriſti ſanguis, cum hæc diceret, cum calicem diſcipulis propinaret, cum tamen eſſe teſtatur, qui poſtridiè fundi debebat, effuſus autem eſt ſanguis eius poſtridiè, cum ſtaret in cruce: quem igitur effuſurus erat pro nobis, cum ſe in calice propinare, magna aſſeueratiõe teſtabatur, quod ille calix, & vinum illud, verus ſuus ſanguis, virtute ſua factus eſſet, in quo, etſi accidentia vini eſſent, ipſa tamen ſubſtantia in ſubſtantiam ſanguinis ſui veri, qui in cruce poſtridiè effuſus eſt, verſa erat, vt & pa-

Veritas corporis Chriſti demonſtratur.

panis in eam carnem, quæ in cruce lancea perfoſſa ſanguinem effudit, conuerſus erat: quod igitur nobis Chriſtus dedit, obuijs vlnis, vt dicitur, accepimus, veneramur, retinemus, ac eo pane & vino diuino veſcimur, Deumque in carne vera, & ſanguine vero ſumimus: vnde mendacium tuum impudens coarguitur, qui nos natura humana ſpoliaſſe Chriſti hypoſtaſim latras, confitemur Chriſti carnem & ſanguinem, vt hominis veri, & Dei veri, in vna hypoſtaſi nos manducare & bibere: vt enim Chriſtus Ieſus, cum panem & calicem diſcipulis daret, verus homo, & verus Deus erat, ita corpus hoc eius quod in ſacramento manducamus, & calix quem bibimus, eſt verus ipſe Chriſtus, Deus & homo in vna hypoſtaſi, panis enim in carnem, vinum in ſanguinem, quæ humanæ naturæ eius pignora ſunt, vi ipſius verbi conuertitur. Et quoniam diuina natura, humanitati in Chriſto ita coniuncta eſt, vt nunquam altera ab altera ſeparetur, in carne quam manducamus, e-

Coniunctio diuinæ naturæ cum humana in Chriſto inſeparabilis.

ius

ius,& calice, quem bibimus, verum Deum eſſe,& corde credimus, & ore confitemur. Vbi enim caro Chriſti eſt,ibi & diuinitas eius eſt, atque ita vides nos hypoſtaſim Chriſti, neque humana, neque diuina natura ſpoliare,teque quod non haberes, de tua ſubſtantiarum partitione dicere, in apertum mendacium ingreſſum eſſe, & multa tum in nos,tum in ſacramẽtarios,nugando imperitis fucum facere voluiſſe. Neque tamen nunc diſputo de accidentibus panis & vini, manentibus abſque propria inhærentia. Equidem, vt antę conuerſionem panis & vini,in ipſo pane & vino inerant,& eis vt ſubiectis inhærebant, ita verſa ſubſtantia panis & vini hærẽt & manent in ipſa carne & ſanguine Chriſti,qui vt ſubſtantiam ipſam elementorum verſam eſſe in ſubſtantiam ſuam, ita accidentia elementorũ manere in ſe ipſo, hoc eſt,in ſubſtantia carnis & ſanguinis ſui,quæ pignora nobis æterna,& mutuæ charitatis, & mortis ſuæ eſſe voluit: vt quemadmodum in homine maieſtatem diui

nam, dum nobiſcum eſſet, dum nos docceret, & ad ſe alliceret, tectam eſſe voluit, ob eas cauſas, quas antè expoſuimus, ita carnis ſuæ & ſanguinis naturam accidentibus ijs, quibus aſſueuimus, conditam & communitã nobis dedit, ne cruditate carnis & ſanguinis deterriti, ab vſu eius, cum Capharnaitis abſterreremur, atque relicto eo, vitam ipſam, quam nobis daturus venit, amitteremus, vita autem noſtra in manducando, & bibendo Chriſto eſt: niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis ſanguinẽ meum, vitam æternã non habebitis: qui mãducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternã, & alia multa, quæ nos ad manducandum corpus CHriſti, & potandum ſanguinem eius inuitant, à quibus ne abſterreamur vt Capharnaitę, ſi in illa naturæ qualitate nobis proponerẽtur, mutata ſubſtantia elementorum accidentia in eis manere voluit, noſque per ea quibus aſſueuimus, inuitare ad carnẽ & ſanguinem ſuũ, in quibus vita noſtra eſt, allicere pro ſua bonitate

Cur accidentia elementorum ſubſtantia tranſmutata in ſacramẽto Euchariſtiæ permanere Chriſtus voluit.

Ioan. 6

Ioan. 6.

nitate curauit, quęcunq; docuit, quę cunque fecit, noſtrę ſaluti accommo dauit, nobis ſeruiuit, ſeipſum humiliauit, & cum in forma Dei eſſet homo fieri voluit, vt nos patri hac ſua humilitate lucrifaceret, cum veram carnem & verum ſuum ſanguinē nobis daret, ſubſtantia elementorum in ſuam naturam verſa, accidentia eadem immota, in ſeipſo, hoc eſt, carne & ſanguine ſuo eſſe voluit, nobis ſeipſum accommodans, nobis & noſtræ infirmitati ſeruiens, quam tu eius & ſapiētiam & bonitatem, ſceleratum os, blaſphemas & rides, noſq; qui pignoribus tantis vtimur, idololatras eſſe, latrare non deſinis, noſtrumq; figmentū eſſe, qđ ipſius Dei beneficium eſt, mētiris, & ꝓpter tuas eſſentias, & inhærētias Chriſti inſtituta cōmutas, tāti ſcilicet tua iſta inhærētia eſt, vt à fide Catholica, vt eas quas tua inſania leges ei appoſuit retineat, diſcedam?. Faceſſe igitur cū tuis iſtis delitijs eſſē tiarū, ſis, equidem, nā tibi licet, eſſentia, ſis ſubſiſtētia, ſis inexiſtētia, & inherētia, conueniant, in te hęc oīa nobis Chri-

Chriſtus Iheſus in vna hypoſtaſi eſt Deus & homo, inhærent eius corpori & ſanguini, panis & vini proprietates, & accidentia vnde etiam tua hæc inhærentia non violatur, cum ei accidentia relinquantur, quam tu tibi placebas, cum hæc inepta quæ conſiſtere non poſſe videbas fingeres? quam tibi magnus videbaris, non dubito te, ſi Romæ eſſes, caput ad arcum Fabianum ſubmittere ſolere: Sed ad vnionem naturarũ Chriſti veniamus, ſatis nugatus es, & de inhęrentiarum vi, & Sacramenti Euchariſtię acciden tibus, ſatis apertè mentitus es, nos Chriſti hypoſtaſim natura humana ſpoliaſſe, aſſerens; quem tu vt diuinitate ſpolies, ad illum Buſyridianum lectum recurris, hypoſtaſimq; illam, in qua diuinitas humanitati iuncta ſit, ei lecto impoſitam aptas diuinitatem latius lecto tuo effuſam, cultris inſaniæ tuæ reſecas, humanitatem vt breuiorem extendis, ac menſuram furoris tui exæquare cogis. confitemur ſceleratum caput, vbicunque Chriſti humanitas ſit, diuinitatem eius

Figmenta Francken.

Arcus Fabianus.

Francken Buſyris nouus.

ius ibidem eſſe, nunquā enim diuina natura Chriſti, humanam naturam ſemel aſſumptam deſerit, quod iam ſatis demonſtrauimus: non tamē neceſſe eſſe dicimus, vt vbi ſit diuinitas eius, ibi etiam eſſe humanitatem. garrias tu quid velis, veritas immota eſt. Aſſumpſit filius Dei hominem, verbum caro factum eſt, aſſumpſit talē, qualis natura eius fuit, nihil aſſumptæ humanitati addidit, nihil abſtulit, naturam eius conſeruauit, immortalem tantum & ſubtilem, ſpiritualemque reddidit, nihil in ea immutauit, ſimilis nobis factus, omnes infirmitates noſtras, præter ſolum peccatum, portauit. Quoniam igitur homo finitus eſt, vno in loco manet, eodem tēpore, in diuerſis locis eſſe neq', Chriſtus vt homo etiam eandem legem ſubijt, vt homo ad dexteram patris ſemper ſedet, loco vt vos vultis, circumſcriptus. At quoniam Deus ipſe eſt, Deus autem nullo loco circumſcribitur, infinitus eſt, vbique eſt, diuinitatem eius vbique eſſe dicimus, ita enim verbum caro factum eſt, vt qđ fuit

Vbi humanitas, Chriſti ibi & diuinitas, ſed non è contra.

Chriſtus vt homo, loco circumſcribitur, Deus eſt vbique.

fuit permaneat, naturam ſuam diuinā, integram retineat, quod nō erat; aſſumpſit factus homo, quod erat pmanſit Deus, qui infinitus, intermi natus, vbiq; eſt, nihil illi natura huma na detraxit, nihil in eo īmutauit, quē tu tuo lecto Buſiridiano impoſitū ex aminas, & humanitati exęquas, & cū qui erat ſemper, aſſumpta humanita te, eſſe nō ſinis, vt hoc tuo tormento, cū humanitatem deſerere cogas, ho minemq; ſolū relinquas, vel ſi homo eſſe velit, humanitatē eius in infinitū extendas, ac tormentis tuis eā excru cies, deſine inſanire, deſine diuinę vir tuti te vermē obijcere, Chriſtus in vna hypoſtaſi deus & homo eſt, homo finitus, Deus immenſus, vt homo in loco vno eſt, vt Deus vbiq; eſt, nullo loco circūſcribi poteſt, vnde fit: vt nō ſequatur neceſſariò, vbicunq; diuina natura Chriſti ſit, ibidem & humanā eius eſſe, vnde neq; in cantharis, neq; in folijs, vt quidā fingunt, humanitas illa Chriſti eſt, quæ in cœlū aſcendēs, ad dexterā Dei patris conſedit, ſeſſuraq; eſt, donec ad iudicandū mundū,

Inſania Brauckēm.

Chri-

Chriſtus dominus, magnus Deus venerit, diuinitas Chriſti vbique eſt, humana natura in cœlũ aſſumpta, in dextera Dei perpetuò ſedet, neq; tamen inde inferre te patiemur, in Euchariſtia Chriſti corpus & ſanguinẽ propterea nõ eſſe, quod ad dexterã Dei ſedeat, quod inde nunquam diſcedat, quod locis in diuerſis vno & eodem tempore nõ ſit: eſt ratio, qua & in cœlo maneat, neq; inde diſcedat, & in altari tamen vera caro, & ſanguis eius ſit, quam rationem ſacramentalẽ eſſe dicimus: nam vt ad dexteram Dei patris localiter & viſibiliter ſedet, ita in altari, in ſpecie panis & vini ſacramẽtaliter & inuiſibiliter vtrobiq; tum realiter manet, ac ita manet, vt & vera caro, & verus ſanguis veri Dei, & hominis Chriſti ſit, eademq; cum illa, quæ ad dexterã patris ſedet, numero ſit, virtute verbi Dei, per quod oĩa facta ſunt, fiuntq;, pane in carnẽ, vino in ſanguinem verſo, quæ duo quidẽ, quoniã humanitatis eius ſunt, diuinitatẽ eius coniunctã eis eſſe, nõ eſt dubitandũ, cum diuinitas Chriſti ita cõ iun-

Quãuis caro Chriſti in dextera Dei patris ſedeat, loco circumſcripta, in Altari tamen præſens eſt ſacramentaliter.

iungatur humanitati, vt nunquam eam deſerat, vbicunque illa ſit, diuinitatem eſſe certum eſt: cum igitur in altari caro & ſanguis ſymbola humanitatis Chriſti ſint, diuinitatem eis coniunctam eſſe certum eſt, noſq; legitimè & piè facere, qui ſacramenta illa cernui vt numen veneramur, non panem, non vinum venerantes, vt vos nobis obijcitis, ſed ipſum Chriſtum, Deum & hominem: cum enim vera humanitas eius in carne & ſanguine ſit, diuinitatem quoque, quæ nunquam humanitatem deſerit, neceſſariò ibidem eſſe, concedendum eſt, Deus autem vbique venerandus eſt. Non deſcendit igitur caro Chriſti illa, cum qua aſcendit, de cœlo in altare, ſed in altari ipſo, verbo Domini & virtute eius fit, tranſmutato pane in carnem, & vino in ſanguinem, dixit Chriſtus: Caro mea eſt, & ſanguis meus eſt: caro igitur eſt, quem vides, panis, ſanguis eſt quod bibis vinum: dixit & facta ſunt; vt aquam mutauit in vinum, ita panem in carnem, vinum in ſanguinem tranſſubſtantiat,

veruſq;

veruſque homo & verus Deus à nobis & oſtenditur, & ſumitur, accidentibus elementorum, vt veſte contectus: dico autem carnem illam & ſanguinem in altari eãdem eſſe carnem, cum illa carne, & eundem ſanguinem, cum illo ſanguine qui in dextera Dei patris maneat, quod Chriſtus ipſe dum panem diſcipulis ſuis in cœna daret, carnem ſuam eſſe dixerit, & carnem quæ poſtridiè cruci cõfigẽda eſſet, & ſanguinem ſuum calicem eſſe teſtatus eſt, q̃ poſtridiè pro eis effunderetur, ita vt caro quam diſcipulis daret, eadem numero cum carne Chriſti in qua ſtabat, quæ loquebatur, quę cruci affigenda eſſet, & ſanguis idem cum eo, qui effundendus erat, eſſet, qui, inquit, effundetur pro vobis, & multis alijs, hunc quem bibebant, ait veritas ipſa, poſtridiè effuſum iri in cruce, non alium, ſed eundem ipſum, qui, inquit, effundetur pro vobis: neque enim ſtultitia eorum ferenda, q̃ ad interpretationes ſuos ſenſus retulerunt, & ſigna eſſe corporis & ſanguinis, non veram carnem, non ve-

rum ſanguinem in Euchariſtia eſſe fingentes, & potentiam ſapientiamque Dei ſua infirmitate & inſipientia metientes, qui, quidqd ſenſum corũ ſuperet, vanũ & fictum eſſe putant, & vt animalia bruta ſolo ſenſu ferũtur: atque hæc ad tua mendacia tertij Critirij ſtultitiæ tuæ generaliter reſpondimus ſingula excutere, quæ argutè nugando congeris non placet, & ipſi Theologi quos refers, quorum gloſſas compilas, ſatis robuſtè tibi reſiſtunt, & prudenter reſpondent: nam quod tu pro tua impudentia vrges ſophiſticè, vnionem non poſſe eſſe diuinitatis cum humanitate, & tãquam autholicus in furto à Theologis deprehenſus, in omnes te partes vertis, ſophiſmataque tua vertas, & tãquam ferramenta manibus pedibuſq; tuis aptas, vt vel per tectum elabaris, totam diuinitatem toti humanitati iũgis, & totam diſiungis, pugnantia cõcludere conaris, vt tuũ acumen Theologi admirantes, te fugam quærere non ſentiant, quaſi propter tua nugatoria argumenta ſequatur, vt Chri-

ſtus nõ ſit Chriſtus, vt diuinitatẽ tuis concluſiunculis coactus iã relinquat in terris, iam in cælum eam aduocet, cogaturq; iam huc, iam illuc currere, vt tu ex Italia in Germaniam, inde in Gallias, in Poloniã ignes fugiens curſitas. Deſine impudẽter agere, deſine feram ridicule mus rodere, non feræ, ſed tuos dentes effracturus, non vincitur Chriſtus, inuicta veritas, vanitatis tuæ argumenta ſunt, aggreſſiones illę ſophiſticæ, ſedet Chriſtus integer in patris dextera, eſt vbiq;, ſemper habitat nobiſcũ, vt ipſe promiſit, diuinitas eius circũſcripta non eſt, vbiq; eſt, nugas iſtas tuas, ſi vis videri aliquid apud ĩperitos, trãsfer ad tuos philoſophos, eoſq; vt velis in eorũ ſcholis verſa & interpola, leges Logicę Chryſippo ſuo magiſtro, & vincula inijci poſſunt, Chriſto nõ poſſunt, q ipſe eſt lex & dominus mũdi, q ea lege qua voluit, humanitatẽ diuinitati ſuę iũxit, teq; impudentẽ in hoc conſiliũ nunq̃ vocauit, quęre tu potius ratiões, quo modo ſathan cũ tua lingua cõiunct?, quomodo ĩ te loquatur, annẽ tot? in

Francken feram rodit.

Chriſti diuinitas vbique.

ſedeat, an etiam extra te prodeat, nihil te tua hic accidentia, ad quæ fugis iuuant, nihil verſuta tua & intorta oratio tibi prodeſt, Chriſtus eſt Deus & homo, propter tuas diſſertationes nihil ſequitur, & vide quàm improbus ſis, cum argumenta tua à ſcholaſticis petas, quæ illi doceant, quibus veritatem tueantur, ſubtices, quæ acceperis corrumpis, & ad libidinem tuam detorques, quod corrumpere nequeas, ſilentio tegis: Si, inquis, natura diuina communicata humanitati, ſequitur & omnes proprietates, naturæ diuinæ communicatas illi eſſe, & cum te hic Theologi tenerent, conſequentiamque tuam negarent, tu tamen impudenter clamas, ſequi aſſeueras, & deficientibus tibi armis, ad meram logomachiam refugis, nō dicimus humanitatem CHriſti Deum eſſe, nōn dicimus omnipotētem ſed hominem Chriſtum dicimus Deum, dicimus omnipotentem, debebas hæc à Theologis ediſcere, à quib' argutias iſtas, quas crepare non intermittis, compilaueris: Totum enim

Improbitas Francken.

quod

quod hic garrias furtum eſt, & in ſenſum tuum reprobum detortum: nugeris quantum velis, nihil tibi conceditur, petas vnde velis, principia mendacij tui, nos Chriſtum Ieſum Deum & hominem verum in vna hypoſtaſi veneramur, matrem eius virginem Deiparam vocamus, quod non modò hominem, ſed eundem etiam Deum nobis genuerit, in quo ſperantes vitam habemus, & quoniam reciſis tribus illis, furorem tuum ac venena ſibilantibus Idrę iſtius tuę capitibus, tria alia enata videamus, eis quoque ſecures noſtras admouebimus, quæ quidem capita, quam veneni mendaciorum plena ſint, tua tranſitio facilè monſtrat. Si, inquis, hæc enumerata & exagitata, quem non mouent, hæc quæ ſubnectentur, mouebunt. Hui Francken, tantúmne viribus vales, vt nolentes etiam rapias, & in tuam opinionem impellas, vehemens eſt tua iſta triplex quam moliris nugatio, certam victoriam tibi promittit, equidem Chriſtus deſerat neceſſe eſt officium ſuúm, vim tantam ratio-

Idræ Francke͂ reciſis prioribus, alia naſcuntur capita.

cinationum tuarum nõ perferet. Sed audiamus idræ iſtius nouæ tria ora aperientis ſibila, quę iſte in omnem ęternitatem manſura profitetur: eſt enim iſte vir tantus, vt ei omnia obediant, æternitas etiam ipſi pareat, iuſſu eius Chriſtum deſerit, λόγονq́; temporibus circumſcribit, argumenta ſua in ſuo inſano capite, modò nata, interminata eſſe iubet, & æternitati conſecrat: vide nebulonem quos vẽtos flet, quàm magnificè de mendacijs ſuis ſe iactet, argumenta, inquit ſubiuncta, quæ inuictiſſima in omnẽ æternitatem manſura ſunt: magnas verò, inquit Thraſo, Thais agere gratias; ingentes reſpondit gnato, nõ ſuffecerat dixiſſe, hunc nouum paraſitũ ſua inuicta argumenta, niſi Gnatonis ſuperlationẽ addidiſſet, & inuictiſſima pronunciaſſet, & primum quidem hoc inuictum robur ab οὐσία, q̃ antè partitus eſt, deducit, comparatq́ue eam cum accidentibus, quæ à ſuis ſubiectis dependent, nec locum ad rem locatam prætermittit, diligẽter aciem inſtruit, ſangam cũ peniculo in

Vanitas Frãcken.

Apparatus mendaciorũ Francken.

Tria argumẽta Francken vt vana reijciuntur.

in frõte locat, & cum multa nugatus ſit de accidentibus quæ eodem tempore in diſtãtibus loco ſubiectis eſſe nequeant, & contradictionem vaniſſimæ argumentationi ſuæ inſeruerit, Deumq́, potentia eius euertendæ priuauerit, ſubitò totam argumentationem illã, acutam, mancã relinquit, nihil aſſũpſit, nihil cõcluſit, credo Caluinianorũ tyrãnide perterritus, quos ad ſuam impietatem, & triũ perſonarum in diuinis abnegationẽ, niſi inſcitiæ dãnari à ſe ſuaq́; idra vellent, euocabat, quos cũ parũ propitios videret tota acie illa, quã in Chriſtũ ducebat deſerta, & capite primo nõ fortiter ſibilante relicto, ad ſecundum cõfugit, nec ibi diu manſurus: eſt enim illud quoq; vt & primũ vanum & nugatoriũ, & vide quàm iſte veris coloribus vim ſathanç ſe obſidentis, in ſe depingat, frontem aſperam cornibus multis armatam oſtẽtat, primo aggreſſu terret, magnoq́; impetu fertur, cum mox vt nebula euaneſcat, ſolet diabolus primo cõgreſſu terrere, fortẽ & inuictũ monſtrare, verùm cum vel cru-

Diſcipulũ ſathana vide.

cem viderit, vel Chriſti nomen audiuerit, totus diſperit, hac arte in noſtro iſto Antagoniſta vtitur, proponit acutè, conſarcinat multa, eſſentias euocat, accidentibus omnia armat, & cum multa congeſſerit, nihil aſſumit, nihil in certamen deducit, ac nec cõcluſionem ipſam infert, nec iniuria: illa enim non niſi legitimè pronunciatis compoſitis, & quæ propoſita fuerint aſſumptis, inferri non poteſt, ebrium equidem ſcripſiſſe, & magis mendacia vomuiſſe, quàm legitimam diſputationem tractaſſe credo, quo vomitu eius relicto, iterum illi more canum repetendo, alterum caput Idræ aggrediamur, & quibus dentibus nos petat, videamus: inuictum eſt, & æternitati mendaciorum ſacrum; quid igitur ſibilat hoc caput? Eſſentiam, inquit, Deus pater filio à ſe genito dediſſe dicitur, diſtinctam tamen hypoſtaſi; ita equidem eſt, particeps eſt filius ſubſtantiæ patris, vnde conſubſtantialis ei Catholicè dicitur: quærit deinde, fuerítne filius in patre cũ generaretur necnè, aſſumit, nam

Primũ argumentum incõcluſum Francken reliquit.

Secundum argumentum ſuperiori ſimile & vanum.

nam hic videtur accuratiùs, quam in prima illa legione copias ſuas inſtruere; aſſumit igitur. Si erat, inquiens in patre, ſequi neceſſariò duas hypoſtaſes in patre fuiſſe, patris ſcilicet & filij & ita vnam perſonã patris, duas perſonas fuiſſe: acutum hoc cornu eſt, qđ non modò λόγος Deus genitus, ſed neque pater euitare ſuſtinereq́ue valeat, cum cõtradictionem in quam Deus decreto iſtius tanti Doctoris, nullam poteſtatem habeat, implicet: cõtradictio equidem eſt, patrem vnam perſonam eſſe, & non vnam, ſed duas perſonas eſſe, ſed cornu iſtud ſtramineum eſt, ſubſtantiam quidem dicimus vnam & communem eſſe Deo patri & filio, perſonas diuerſas, diuerſis proprietatibus diſtinctas, patris proprietas eſt generare, filij generari, ſubſtantia vna & eadem, proprietates, quod iam toties diximus, diuerſæ: ſed quoniam canis iſte ad eũdem vomitum ſæpè reuertitur, & eadem inculcat, nos quoque quæ illi opponimus, repetere neceſſe eſt, ne illius vanitati ceſſiſſe videamur, &

Ineptiæ Frecken.

Cur eadem ſæpè repetãtur.

equidem hoc ſuum cornu vt diligentius muniat, de potentia & energia differit, Græcas etiam voces, vt ipſiſſimus Atticus videatur, inſpergit, quo fuco facto, ad alterum cornu venit: Si, inquit, non erat filius actu & energia in patre, ſequitur eum qui non erat, vel ex diuina eſſentia, vel ex ſua ipſius ſubſiſtentia, vel ex nihilo productum eſſe: & vide quàm accuratus eſt hic, in ſuperiore argumento digerendo, ebrius erat, in hoc planè ſobrius; repetit ſingula mēbra modoſq; producendi filij à patre, vt è duobus, vel inficiatis vel refutatis tertium cōcludat, ex nihilo productum, vt Arrianis placeat, Germanuſq; eorum eſſe videatur, concludit. Vult enim ſuum dogma illis præcipuè probari, ſed vide quam impudenter hic vt vbiq; agat, nō ex diuina inquit, eſſentia productus eſt λόγος, rationem ſtatim mendacij reddit, quia hæc nō generat, nec generatur: atqui hoc tuum mendacium Francken iā teſtimonio ſacræ ſcripturæ, imò ipſius Dei patris voce refutauimus, teq; iniuriā grauem Deo

pa-

patri facere oſtēdimus, quem cū om nibus vim gignendi, dederit, tu eū ſterilē facias, immemor legis Dialecticorū, Propter qd' aliud eſt tale, illud certè magis tale eſt dicēdū, ſi Deus pater eſt fons generationis, ſi eam vim ab eo omnia accipiunt, cur quęſo ea poteſtas, quā alijs largitur, nō illi etiam, vel præcipuè conueniat? quis mihi, inquit Deus, genuit iſtos, ego ſterilis & non pariens? & non quid qui alios parere facio, ipſe nō pariam: dicit dominus: Si ego generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait dominus Deus tuus, qui te Francken mendacij vnà cū populo prēuaricante arguit, vides impudentiam tuā, vides os tuū impurū, ori benedicto Dei te opponere, & nugantes de Deo philoſophos, Deo ipſi anteferre; quod equidē nemo facere audeat, niſi diabolus ſit cum eo: Clamat Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te, ante luciferū ex vtero genui te, tu verò obſeſſus à dęmone, nō generat, nec generatur De', clamare nō deſinis. Eqdē maior tu es ipſo deo, po-

Iſai 49.

Iſai. 66.

Francken os ſuum Dei ori opponit.

poſuiſti in Aquilone ſedem tuam,nõ modò æqualis, ſed maior Deo factus es: vnde tibi iſta tanta potentia, vt Deo conditori tuo te opponere audeas,equidem non aliundè,quam ab illo,qui in te ſedens te docet,& quod ipſe in ſua hypoſtaſi non ſuſtineret, in tua audet. Vides igitur, quam improbè in primo modo producendi diuini verbi egeris, & veritatem Sole clariorem negaueris, Deumq́; mendacem eſſe dicere non veritus ſis, generare ſe ille teſtatur, λόγον filium ſuum eſſe agnoſcit,ex vtero ſuo genitũ profitetur,quod tu totũ dæmone plenus negas,& vt Gygas nouus bellum Deo infers, genitus filius Dei ex ſubſtantia diuina Dei patris: vt autem in primo modo producendi filij DEI mentitus es,ita in reliquo toto argumento mentiri non ceſſas, & quicquid dicis, de proprio tuo ſcelerum, & impietatis tuæ theſauro profers, garrias improbum caput quantum velis, vel quantum dæmon tuus tibi ſubijciat,fili' tamẽ Dei Chriſtus Ieſus & ex ſubſtantia patris genitus, & hypoſtaſi

poſtaſi à patre alius eſt, nam quod cõcludis, ex nihilo productum filium Dei, nihil agis, Ex vtero, inquit Deus, genui te, cuius tu teſtimonium mendacibus tuis aggreſſionibus reiectis, ſi homo eſſes, ſequi deberes, verumenĩuerò, quia pater mendacij te obſidet, nihil niſi mendaciũ & dicere, & ſẽtire potes; ac vide q tu homo ſis verbũ Dei ex nihilo genitũ concludis, cum te Ariſtoteles ex nihilo nihil fieri poſſe docuerit, cum tota tua diſputatio nihil Theologicum, nihil verum, ſed totum à Philoſophis profectum habeat, ad Philoſophorum leges deum ipſum reuocas, intra naturam Deum ipſum concludis, legibus ei' eum alligas, quamuis eum naturæ dominum eſſe ſcias; ſi legibus naturæ filius Dei ſubiectus eſt, quomodo ex nihilo fieri potuit, cum natura ex nihilo nihil producat, cum materiam ſemper requirat. Equidem metuebam, ne concluderes filium Dei ex materia prima natum, quod naturæ legibus accommodatiùs viſus eſſes dicere, quam ex nihilo. Sed video quò ſpectaueris, apud

Cur ex nihilo creatum filiũ Dei mentiatur.

pud Alciatum Simonemve aliquem perpotabas, qui cum Arrio, ex nihilo filium Dei à patre productum, & nõ natura, ſed voluntate Dei patris, Deũ eſſe aſſerant, conuiuio igitur tuo, & ventri conſuluiſti, ex nihilo λόγον pro duxiſti: ſed vide, quam tibi conſtes, negas cauſam eſſe, cur λόγος mediator eſſe deberet, ſi per filium iſtum, ex nihilo creatum, nihil Deus pater opera tur, quid opus erat eum creare? quid opus erat naturam eius à natura rerum creatarum alteram eſſe, & quidem deteriorem originem ei tribuis. Præſtantius ſiquidem eſt, ex aliquo oriri, quàm ex nihilo, è materia Ariſtoteles omnia producit, ex nihilo nihil produci poſſe docet, at tu rebus aliis originem certam, Deo quem tu cum Arrianis imperfectum fingis, incertam imò nullam: quid enim nihil certi habet? nónne negatio ipſiſſima eſt. Sed te tuæ inſaniæ, vt alibi, ita & hic relĩquo, malitia tua te ita excœca cauit, vt quid dicas, quid agas, non ſentias. Quod apertiſſimè tertiũ hoc quod ſequitur Idræ tuæ caput, demõ

ſtrat,

ſtrat, quod vt Chriſtum mediato rem deuoret, os ſuum aperuit, negas Chriſtum mediatorem eſſe, & toto hoc argumento, cui ſempiternum triumphum in mendacio tuo polliceris, hoc agis, vt Chriſtum nec hominem, nec Deum eſſe mediationis officio poſſe fungi, concludas, vbi vt tuo mendacio ſuccurras, maioreque cum ſeueritate mentiaris, ad Paulum te refers, eius verbis impudentiam tuam adornas, & authoritate tanti Apoſtoli ad tuum ſcelus abuteris, in quo quam ſis ſtipes callidus, vide, tertiò inquis loco, producam prouulgatum quidem, ſed inſigneprorſus, ſemperque triumphans illud argumentum, quod Apoſtolus nobis ſuggerit, vnum eſſe ſcribens Deum, vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum, vide quid moliris, attende paululùm, & aliquid ſobriæ mentis recipe; concludere contendis Chriſtum non eſſe mediatorē, idq; partitione illa probare inſtituiſti, quod neq; vt homo, neq; vt Deus hoc facere poſſet, cū propter alias cau

Tertium argumentum Fräcken Chriſtum non eſſe mediatorem.

Callidus ſerpēs Francken

ſas

ſas, tum verò ne ipſe apud ſeipſum, mediator, aduocatus, & interpellator ſit, & quidem multa in eam rem affers concludiſq; Chriſtum mediatorem non eſſe, huius autem tuæ concluſionis principium, per quod demonſtretur, Pauli verba dicentis vnũ eſſe Deum, vnum mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum, ſunt, quod ſumptum tuum, concluſioni tuæ, Chriſtus non eſt mediator, contradictorium eſt: contradictionis autem ea vis eſt, vt nunquam vtraque pars eius eſſe ſimul, aut vera, aut falſa poſſit, ſed ſemper alteram eius partẽ veram, alteram falſam eſſe oportere, & tu paulò antè clamabas, ne Deum quidem ipſum facere poſſe, vt vtraq; pars contradictionis ſit ſimul aut vera aut falſa, ſed oportere alteram earum aut veram aut falſam eſſe. Rectè tu quidem, etſi arroganter & impiè, qui ad nugas tuas Dei potentia abutaris, & nomen eius ſine cauſa aſſumas: neque enim opus erat Dei potẽtiam & maieſtatem tuę illi contradictioni implicare, & mẽdacij tui eum teſtem

teſtem facere: ſed ad aientium & negantium vim redeo, dicoq; aientia & negantia nunquam inueniri ſimul, vel vera, vel falſa, ſed ſi altera pars vera eius ſit, alteram falſam neceſſariò eſſe, Lex ea apud magiſtros artis diſſerendi perpetua & immota eſt, quod cum ita ſit, vide, quàm tu cautè dicas, quantumque tibi placeas, inuicta argumenta tua æternitati conſecras, q̄ ita vana ſunt, vt nulla aduerſa refutatione opus habeant, cum ſeipſa diſſoluant, ait Paulus: vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, tu concludis, Chriſtus mediator non eſt, quam concluſionem, magno molimine, & rerum multa congerie ſtabilire conaris: quæro, an non implicant hæc, vt tu dicere ſoles, cōtradictionem, Chriſtus mediator eſt, Chriſtus mediator non eſt, nónne ſunt hæc aientia & negantia, quæ ſimul conſiſtere & conſentire nunquam poſſint, cùm Paulo ais, Chriſtus eſt mediator, cum tua vanitate, Chriſtus nō eſt mediator, ſumptum tuæ argumentationis, concluſioni

quam infers contradicit, & ex diametro cum eo pugnat, ſi Paulus vera ait, Chriſtum eſſe mediatorem, tua concluſio mentitur, quę neget Chriſtum eſſe mediatorem, ſi concluſio tua vera, Paulus mentitur, quod quàm abſurdum eſt ſentire, tu ipſe nos mones, qui verbis Pauli vt principio vti volueris in eo concludendo, quod inſtituiſti, ſi enim Pauli verba mentiuntur, quid opus erat te tuæ veritati ſtabiliendæ ea adhibere? quæ te non ſolùm non iuuarent, ſed etiam tuam iſtam ſtructuram totam euerterēt, ratiocinationis tuæ fundamentum eſſe vis, Pauli verba: Vnus eſt Deus, vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, quæ verba, quam vim habeant, tu ipſe teſtaris, qui hoc argumentum, etſi prouulgatum, ſed tamen inſigne, ſemperque triumphans argumentum vocas, quodque Paulum ingerere nobis aſſeueras, ais ſemper triumphans argumentum, quod Paulus nobis ingerit; inſigne argumētum Paulum nobis ingerere ais: triumphans argumentum à Paulo inge
ſtum

ſtum vocas:quid Paulus quæſo dicit, quomodo argumentatur? vnum eſſe Deum vnum mediatorem Dei & hominum,& qui ſit ille mediator, diſertè docet dicens: hominem Chriſtum Ieſum eũ eſſe, quis igitur eſt iſte Pauli triumphus, ad quem tu te refers, in quo victoriam tuam locas(hoc ſcilicet quod Paulus ait, vt vnum Deũ, ita vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum eſſe.Hic Paulus triumphat,ad hunc triumphum Timothæum vocat, hoc trophæum victoriæ Chriſti de tuo, qui te obſidet,dæmone,Paulus ſtatuit,& Chriſtum Ieſum ſolum eſſe, qui ſathanæ chirographũ deleuerit, noſque Deo patri recõciliauerit, pacem nobis dederit, captiuam captiuitatẽ, ſcandens in cœlum duxerit, demonſtrat:Paulus Chriſtum Ieſum mediatorem Dei & hominum cõcludit, & docet,Francken Chriſtũ Ieſum mediatorẽ Dei & hominũ negat eſſe: Paulus eſt vas electum Dei, vocatus in Euangeliũ, qđ Deus ꝑ Prophetas ſuos promiſerat,vt portaret nomẽ Chriſti *Ad Rom. 1.*

Ieſu coram gentibus, confitetur mediatorem eſſe Dei & hominum Chriſtum Ieſum, idq́; Timothæum omnes docere præcepit, Francken homo vagus, nebulo, inſanus, canis furioſus, ſui oblitus, ſibi aduerſus & repugnans Chriſtum mediatorem multis congerendis argutis nugis cõcludit: Si Paulus vera docet, Francken impudentiſſimè mentitur, atqui à Paulo, vt vaſe electo Dei, & Spiritu ſancto pleno, nõ niſi veritas profundi potuit, Francken igitur mentitur: Altera pars contradictionis vera ſit neceſſe eſt, altera eſt Pauli, Chriſtus eſt mediator, Francken altera: Chriſtus non eſt mediator, Pauli vera eſt, vel etiam ipſo authore Francken, qui triumphũ verbis Pauli tribuit. Falſa igitur ipſius Francken, qui impudenter; quod à Paulo ingeſtum ſit, inuictum & triumphans argumentum teſtatus fuerit, & principium ratiocinatiõis ſuæ, quaſique fundamentum eſſe voluerit, in concludendo neget, & contradicentem ei concluſionem infert, furore excœcatus, adeo vt ſeipſum, qd
dicat

dicat non exaudiat, argumentum in quit, triumphans ingerit nobis Paulus, quod argumentum illud eſt Fräcken, nónne vnum Deum eſſe, vnum Mediatorem Dei & hominum, Paulus dicit, quis quæſo iſte Pauli mediator eſt, homo Chriſtus Ieſus, hoc argumentum inuictum, inſigne, ſemper vincens, ſemper triumphans, ais eſſe, hoc fundamentum aggreſſioni tuæ, quam inſtituis ponis. Vide igitur, quid ſuperſtruas, quam diſſentanea Paulo dicas, quam tecum ipſe pugnes, & teipſum euertas, tuamq; vanitatem omnibus ridendam propines, furoriſq; tui cœci tuo ipſius præconio omnes teſtes facis, Paulus dicit, mediator Chriſtus Ieſus, tu quaſi confirmaturus Pauli ſententiam, ſtatim partitione vteris; mediatorem aut hominem, aut Deum eſſe oportere contendis, moxque ſubſumis, neque hominem Chriſtum, contrà quàm Paulus ait, eſſe mediatorem, neque Deum; cum dicere deberes, Pauli ſententiam confirmans, Chriſtum propterea mediatorem eſſe, qd

medius ſit inter Deum patrem offen ſum,& homines qui offenderint, medius autem eſt,quia Deus & homo vtriuſque naturæ particeps eſt, hinc enim tua propoſitio à Paulo petita,poſtulabat confirmationem & rationẽ hanc,cauſalis coniunctio,nam, promittebat: proponis enim cum Paulo,vnus eſt Deus, vnus mediator Dei & hominum,homo Chriſtus Ieſus,rationem ſubijcis: nam ſi mediator is eſt, quem & nomen & ratio cogit eſſe, medium inter perſonã offenſam, & perſonam quæ offendit, dicere ſtatim debuiſti,Chriſtum Ieſum hũc eſſe,quod medius ſit inter Deum offen ſum,& hominem qui offenderit, medium eſſe,quod vtriuſq; naturæ particeps eſſet, quod non ſolum Deus, nõ ſolũ homo, ſed ſimul Deus & homo ſit,& Deo patri,& homini cõiunctus & amicus,quales ſolent eſſe, qui lites cõponunt at tu furore plenus,in contrariam partem curſum flectis, & nõ quod propoſueras, ſed quod dæmoniũ in tuo ore ſe iactãs te dicere cogit infers: Chriſtũ mediatorem eſſe non

poſſe,

poſſe, nugaſq; iſtas tuas, Gordium e-
tiā nodum appellare te non puduit,
cum hic cultris nō ſit opus, ſua enim
pugna euertuntur, tu te ipſum tua va
nitate iugulas, tu quod nectis, diſſol-
uis tecū ipſe pugnas, ais, negas, & in il
lo ſophiſtarum luto hęſitas, qđ metā
redargutionis vocant; quā eſſe aiunt,
cum quis quæ affirmauit neget, aut q̃ *Franckenſi-*
negauit affirmat, quod tu ita diſertè *bi ipſi illudit.*
facis, vt nō diſſerere de mediatore vi-
dearis, ſed tibi ipſe illudere, tuamque
nequitiā prodere: quid enim nequā
hominis magis eſt, quam ſeipſum, &
cauſam ſuſceptam prodere; neque æ-
quum eſt, vt tecū certemus amplius,
tu teipſum euertiſti, tu in redargutio
nis metā incidiſti, & in eius laqueos
te induiſti, nec tibi ea q̃ deinceps fin-
gis patrocinantur, teneris à Theolo-
gis, q tuas nugas ſatis prudenter & ve
rè diſſoluūt, nam quod laqueos eorū
vitare cōtendis, modos mediationis
Chriſti recēſes, & ſingulos tuo more
nugatorio refellis, totū hoc nihil eſt,
ferramēta ſunt iſta, arteſq; Autolici
rimam fugæ quærentis, quā tibi vno

verbo claudemus, dicentes: Chriſtũ Ieſum mediatorem eſſe Dei & hominum ſecundum vtramque ſuam naturam diuinam & humanam: neque enim ſolus homo ſatisfacere pro nobis potuit, neque Deus abſque homine id beneficium in nos conferre voluit, eo opus erat, qui & homo & Deus eſſet; quam materiam, quoniam ex profeſſo in eo libro quem de mediatore Chriſto ſcripſimus, copiosè explicauimus, & captionibus eius generis, quibus tu abuteris, reſpondimus. Nunc pluribus agere nolumus, ad eum librum te remittimus, non ſunt hæc quæ de mediatoris officio profers; tua, aliena ſunt, quæ tu vt ſoles compilata, ne tuum deprehendatur furtum interpolas, & mendaciorum tuorum fuco, noua reddis: video quæ hic affers, quibus nec hominem, nec Deum mediatorem eſſe, oſtendere conaris in ſcholis, vel diſputationis cauſa, vel etiam feriò diſputata eſſe: ſolent diligentes lectores, non ſolum ea argumenta ad rem explicandam afferre, quibus veritas cõ-

clu-

cludatur, ſed etiam ea quæ aduerſus *Lectorum le* veritatem probabiliter dici poſſunt *norum dili-* referre, non vt ea probent, ſed vt im- *gentia.* probent, diſſoluant, vitiaque eorum demõſtrent, ne quis eis ob rerum imperitiam decipiatur, ne quis eis deinceps doloſè abutatur, veritatemque ſpecie eorum fucata adumbret: qui enim veritatem ſtabilire vult, quę ad uerſus eam dici poſſent, refutet neceſſe eſt; quod cum illi facerent, tu ſedulò omnia obſeruabas, & quod illi vitandum docerent, arripuiſti pro veris, & triumphantibus argumentis; eis aduerſum veritatem abuteris, ſecundum illud: vas, niſi fuerit ſincerum, quidquid infundas aceſcit, quæ te Doctores tui vitanda docuerunt, tu ea amplecteris, quæ amplecti debebas, ĩpugnas, rides, & blaſphemas, vt homo mõſtroſus & naturę aduerſus: Lux tibi tenebræ ſunt, tenebrę lumẽ; venena medicina, medicinam venenum vis eſſe: Diſputarunt & veteres de mediatoris officio, diſputarunt & recentiores. Fuerunt, qui mediatoris officium ad humanam naturam tan

tum referrent: fuerunt, qui tantũ deo id munus tribuerent, contra vtroſq; D. Auguſtinus diſſeruit, & neq; ſolũ hominem, neq; ſolum Deum, mediatorē Dei & hominum eſſe demōſtrauit, ſed Deum ſimul & hominē, & diuinitatem humanā, humanitatemq́; diuinā eo officio fungi cōcluſit, qualis eſt Chriſtus Ieſus, qui, quod Deus ſit & homo, mediator Dei & hoīm ab Paulo dicitur: natæ ſunt, & ætate noſtra, tres hæreſes in eo genere, alia quæ diuinitati ſoli Chriſti mediationis officiũ tribuit, vt Oſiāder docuit, alia quæ humanitatis tantũ eius hoc munus eſſe cōtendit, vt Franciſci Stācari Mantuani, qui, vt tu vagus in his regionibus, nō paucis ſuo veneno pditis, ipſe etiam perijt, nō deerat Muſculus, qui in hoc genere etiā nouũ aliquid cōmentus fuerit, & ita ab Oſian dro & Stancaro diſſenſerit, vt in mediatore Chriſto, & naturas, & operatiões, & proprietates ita cōfunderet, vt prorſus quod hoīs eſſet, Deo tribueret, & quod Dei, homini, adeò vt vnà cũ humana natura, diuinam etiã

& cru-

& crucifixam, & mortuam, & in ſepulchro iacuiſſe putaret, quæ triplex hæreſis damnata & exploſa, veritas enim mediationis in vtraq; natura mediatoris conſiſtit, ſed ita, vt aliæ actiones & proprietates humanitatis, in hoc officio obeundo ſint, aliæ diuinitatis: quæ quoniam in eo libro, de quo dixi modò, quem de Mediatore edidi, & in quo ex profeſſo hanc controuerſiam tractaui, explicata ſunt, eò te ſi lubet, cum tua iſta quarta hæreſi, quam parturis, & Chriſtum mediationis officio priuas relego, duas vt voluntates & operationes in Chriſto Catholica Eccleſia agnoſcit, alteram diuinam, humanam alteram, quod in te ipſo ita eſſe cognoſcis, vna ſt tua anima, non vna tamen eius operatio, vna hypoſtaſis corpore & animа conſtans in te eſt, alia tamen proprietas & operatio corporis, alia animæ, alia vtriuſq; & communis, vt Ariſtoteles, cui vni tu fidis, docet: inania ſunt, nihil veritatis habent, quæ tu in hoc triumpho, quem tibi Paulum ingeſſiſſe gloriaris, adhibes

bes, fucum hominibus facis, tu ipſe vinctus duceris in triumpho, non verò triumphas, & quidem non ſolum ab alijs vinceris, ſed tu tuis mendacijs & pugna verborum te ita illigaſti, vt exſolui nunquam poteris, inimicus tibi in hoc certamine tantum nocere non poſſet, quantum tu tibi nocueris, Paulum contra te armatum, & iugulum tuum petentem euocaſti, Theologorum argumenta, de officio mediatoris vera & firma produxiſti, nihil quod tuam cauſam iuuet, præter nugatoria, attuliſti, ac planè neruum in quem ires, aduerſarijs tradidiſti; itaq; carceri te tuo relinquo, diſputationi cum tam vano homine renuncio, & quæ acta ſunt, non ago. Nec de peccato Adæ operæprecium fuerit, vt tecum luctemur, ille, quantum in illo fuit, nos perdidit, & ab illo, quod nobis ab initio mundi paratum erat, regno cęleſti excluſit, quod per Iheſum Chriſtum mediatorem noſtrum, & Dei patris recuperauimus, quæ tu profers argumenta contra mediationem eius, vana, & homi

nis

nis delirantis,ſuamque nequitiam omnibus ingerentis,ſunt. Non ſentis, quid dicas,quam tibi aduerſeris,maiorem benignitatem Deum Patrem demonſtraturum fuiſſe, erga nos, ſi non miſſo filio,omne illud debitum & crimen nobis donaſſet.Confirmas id ſtultè adducto exemplo Domini, ſeruo debitum donantis, equidem maius beneficium præſtat Dominus ei ſeruo cui debitum,nihil ab eo repetens,remittit, ſed multò maius eſt beneficium? ſi non ſolum ſuum debitũ illi donet, ſed etiam alienum pro eo diſſoluat, iacturamque pro ſeruo adeat: Deus pater, & ſuum debitum nobis donauit,& diabolo,qui nos captiuos teneret ; precium appendit, nos redemit, non quouis precio ; nõ auri & argenti, ſed filij vnigeniti ſanguine,vtrumne autem maius beneficium præſtat,qui debitum tantum remittit, an verò qui vltra id quod remiſit,quod iure illi deberetur, etiam facultates ſuas,quas retineret,in te effunderet, & tui cauſa etiam filium ſuum hoſti, vt te è vĩculis liberaret,tra

diderit, cruciandum & occidendum in tuo exemplo, vnum eſt beneficij genus, remiſſio debiti, deus pater plura coniunxit, & quod illi debebas, remiſit, & quod hoſti tuo, qui te captiuũ teneret, deberes, pro te diſſoluit, filium ſuum vnigenitum pro te mori, & precium ſanguinis eius pro te appendi voluit, maius hoc Francken beneficium eſt; maior gratia, ſi tantum ſuum tibi ille remiſiſſet debitum, nec curaſſet te redimi, captiuus maneres, remiſſum debitum tibi nihil profuiſſet, quo te tyrannus exſpoliaſſet, at tu ita ſenſum perdidiſti, vt quod minus eſt; maius eſſe dicas, quod maximum eleues: potuiſſe Deum remittere nobis debitum dicis ſine precio. At Deus pater non ſolum benignus, ſed etiam iuſtus eſſe vult, bonitatis eſt eius, quod remiſerit debitum, iuſtitię, qđ tyrãno tuo vnde te liberabat, precium appenderit, & non vi, ſed iure, te ad libertatem vindicauit: Aufer igitur tuum ſtultum exemplum, non ſolum gratis, non ſolum nullum pra-

Francken ſenſum perdidit.

miun

mium à nobis petens donauit nobis debitum Deus pater, ſed vltra id etiam filium pro nobis tradidit. Sunt multa quæ tu nugaris, quę tibi aduerſa eſſe non ſentis, quæ vt vana, & leuia, & inepta prætermitto, ſed neque illi tuo impio, quo actum hunc extremum claudis, mendacio reſpondere placet, cum ſit à magnis viris, & Catholica Eccleſia notatum, damnatum, exploſum, ſæpiuſq́ue cum ſuis authoribus profligatum. Neque enim Chriſtus Ieſus, cui omnia patris nota ſunt, hoc agebat vt ſe Deum negaret, cum diceret diem iudicij, de quo curioſè diſcipuli interrogarent, ſoli Deo patri notum eſſe, filium etiam ignorare, ſed vt curioſas mentes diſcipulorum reprimeret, & ab ijs quæ eos ſcire nihil intereſſet, auocaret, & ad res ſaluti eorum neceſſarias reuocaret, ſciuit qualis eſſet dies ille, deſcripſit eum, quod hoc nobis neceſſarium fuerit, voluit enim nos monere, vt quæ in eo iudicio damnanda eſſent, ſedulò vitaremus, quæ probaren-

barentur ſectaremur, nam & pręmia virtutis & pietatis, & ſupplicia ſcelerum nobis expoſita eſſe voluit, vt & ad opera bona præmiorum ſpe excitaremur, & à ſceleribus, ſupplicijs, quæ diē illam ſequerentur, deterreremur, ſciuit & ſcit, quando dies illa futura, ſed tamen quoniam, vt vitæ noſtræ incert⁹ finis eſt, incerta dies & hora, & temeritatis eſt penitus hæc definire, ita & mundi finis incertus eſt, poteſt enim Deus & lōgius ſpacium

Cur dies iudicij incertus. illud extendere, etſi voluerit contrahere & abbreuiare, prout expedire electis ſuis viderit, quod & publicè ante diluuium accidiſſe ſcimus, cum diluuij tempus quod poſt centum annos & viginti fore prædixerat, coarctauit, ac celerius quam voluit, enormitate ſcelerum coactus, ſupplicium interitumque mundi accelerauit, & priuatim pleriſque poſterius vitam produxerit, vt Ezechię, Heliæ, & alijs, noluit igitur more veſtro hæretico Horoſcopos illos definire: poſſe celerius, poſſe tardius, illam diem venire, ſecundum voluntatē Dei patris,

patris, ſæpè Chriſtus aliud dixit, & reſpondit, quã quod interrogãtes quęrerent, nõ quod prorſus non faceret, vt fratrib. ſe, vt ad diẽ feſtũ Hieroſolymã iret, & ſe mundo oſtenderet, vrgentibus reſpondit, ſe nõ aſcenſurũ, aſcendite inquit vos, tempus meum nondum venit, ego non aſcendam: nihilo ſecius tamen fratribus ad diem feſtum profectis ipſe eodem venit, negauerat ſe aſcenſurum, nõ quod prorſus non eſſet aſcenſurus, ſed quod nõ propter eam cauſam aſcenderet, quã fratres eius ſpectabant, hoc verò eſt, vt ſe mundo regem eſſe renunciaret, ſed vt oraret, legiq́ue ſatisfaceret, nõdum venerat regnum eius, nondum ſe mundo manifeſtare, qui eſſet, voluit, quod tum demum fecit, cum in crucem aſcendit: tum enim mundo ſe Regem eſſe declarauit, & quid eſſet monſtrauit, principem mundi vicit, hic ſuam potentiam, hic ſuum regnum mundo patefecit, omnia dicebat, cum exaltatus fuero à terra, traham ad me, ibi poteſtates omnes in ſeipſo triumphauit: aſcendit igitur

contrà quàm dixiſſet in Hieruſalem, ſed non eo modo, vt fratres volebāt, qui regnum terrenū eius animis coquebant, ſed tamen alio modo aſcendit, ſcilicet vt oraret, alio modo tum cum iret, vt crucifigeretur, quo tempore ſe mundo reuelauit, & fratribus ſatisfecit, quamuis non eo modo, vt illi volebant, verus eſt Chriſtus in omnibus dictis ſuis: ſed veritatem non ſemper ita apertè dicit, vt ab omnibus intelligatur: vobis, inquit, datum eſt noſſe Regnum Dei, cæteris in parabolis: ſciuit diem iudicij, cùm negaret ſe ſcire, ſed noluit apertè dicere, quòd non expediret, noluit voluntati patris ſui metam ponere, quem illi, in iudicando mundo, non liceret egredi, & vel longius mundi tempora producere, vel ſi res poſceret cōtrahere: neque à patre iuſſus erat, vt finē mundi cum Aſtrologis definiret, ſed benè viuere in mundo nos doceret, neſcire ſe dixit, quod pater reuelari noluit, quod abſcōditum à ſenſibus hominū commodius lateret, quàm prouulgatum ab omnibus ſciretur:

vti-

vtilius eſt nos vitę finem neſcire, quã cognoſcere, ignorantia eius, nos vigilare, & paratos eſſe iubet, ſcientia ignauos, & vitijs deditos faceret, iramque Dei in nos prouocaret: ait igitur Chriſtus ſe neſcire, hoc eſt, nolle reuelare, quod ſciri non permiſſum eſſet à patre, ſed ita in dubio relinqui, vt homines exſpectatione incerta non ſecuri, ſed cauti reddantur, ſatis argumento ſunt illa, non ignoraſſe Chriſtum diem iudicij, quæ ipſe de eo dixit, quæ ſigna eius deſcripſit, adeò vt nos ea contuentes, propè eſſe eum agnoſcamus. Sciuit Chriſtus Ieſus, qui omnia nouit, quid ſit veritas eum à Pilato interrogaretur, dicere tamen noluit, quod hoc eo tempore redemptioni noſtrę non expedire videret, ſciuit diem iudicij, quē in corde eius eſſe teſtatur Iſaias, ſed quod eam cognitionem non fore vtilem ſciret, dicere noluit, ac ne importunè quęſtionem eam vrgerent diſcipuli, neſcire ſe reſpondit, non fuiſſe autem futuram commodo diſcipulorum eam cognitionem, ipſe in cœlũ

ſcandens, ab ijſdem diſcipulis interrogatus teſtatur, dicens, Nō eſt veſtrum noſſe tempora & momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate, quæ ille vel produceret, vel contraheret pro commodo noſtro: apertè enim hæc verba docent, cur Chriſtus diem iudicij non definiat, quod ſcilicet ea cognitio nihil ad officium Apoſtolorū, nihil ad noſtram ſalutem commodi, imò multum incōmodi afferret: non eſt igitur, inquit, veſtrum noſſe tempora, nihil ad vos id pertinet, nihil vobis commodi afferet, imò ſecuritate vobis iniecta, vos pigros redderet, & à cogitatione regni cœleſtis auocaret, ſenſus veſtros ſomno immergeret, cum vobis vtilius ſit ſemper vigilare, & ſemper excubias agere, aduentum meum, qui vobis incertus ſit, ſingulis horis expectando, nō igitur propterea, quod neſciat, ait ſe ignorare, ſed quod dicere nollet. Non vult autem dicere, quoniam id inutile nobis prouidit. Voluit Deus pater extremum illum diem mundi nos celare, vt nos attentos redderet: milites, qui pro-

procul hoſtem abeſſe putant, ſecuri fi unt, arma deponunt, ac ſua illa ſecuri tate, hoſti qui ſubitò & inſperatus ve niat, victoriam tradunt, proinde Imperatores prudentes, vt eam ſecurita tem militi excutiant, hoſtem præſtò adeſſe, quamuis procul abſit, nuncia ri curant, ſemper in armis militem te nent, vt ad ſubitos caſus inſtructum & paratum habeant: milites hic ſumus, depugnamus non cum carne quæ videatur, ſed cum poteſtatibus huius mundi, & hoſte inuiſibili diabolo, qui nuſquam abeſt, qui vt leo circuit, quærens quem deuoret, & cautos quidem non aggreditur, in ſe curos, nihilque de periculo cogitantes impetum facit, quæ cum Chriſtus vt Deus viderit, ſecuritatem omnem nobis excutere voluit, vigilare nos iu bet, & armatos contra aereas poteſta tes excubare, vt cum ipſe ſubitò nos vocauerit, ſtatim ad eum armati, & expediti aduerſus hoſtem procurramus, victoque hoſte, in nuptias vna cum eo ingrediamur: quod igitur tu è triuio arripis argumentum, nō mo

 dò

dò protritum, verumetiam obtritum & exploſum eſt, nihil agis, Chriſti benignitatem irritas, ac iram eius in te prouocas, data eſt illi à patre omnis poteſtas, data omnis ſcientia, omnis ſapientia, datus omnis intellectus, nihil eſt patris, quod non eius ſit, ſcientia patris, ſcientia filij eſt: ſcit pater diem iudicij, ſcit & filius idem & vnus cum patre in ſubſtãtia Deus, qui cum ſciret eam eſſe voluntatem patris, ne momenta & tempora, quæ ille in ſua poteſtate poſuit, ne diem iudicij homines, vt & mortis ſuæ ſcirent, nihil de eo interrogatus reſponderc voluit, ignorare ſe finxit, vt curioſa ſcrutantes diſcipulos reprimeret, ac voluntati patris ſatisfaceret, venit enim, vt ipſe teſtatur, in mundum, vt voluntatem patris faceret, cui non obſequi nefas eſſet. Atqui ſi iudicij diem definiſſet, voluntati patris non modò non paruiſſet, ſed etiam aduerſatus eſſet, quod ab officio ſuo maximè alienũ fuiſſet: ſciuit momenta & tempora, patrem in ſua poteſtate ſolum eſſe voluiſſe, hominib.

eam

eam poteſtatem negatam eſſe voluit: igitur quod pater nollet enũciari, voluit tectum eſſe, ſępè homines quę cælari volunt, quamuis ſciant, interrogati tamen ſeſe ſcire negãt, non ꝙ neſciant, ſed quod arcana illa, prouulgari, incõmodum eſſe videant: loquebatur. Chriſtus cum diſcipulis interrogantibus, vt homo cum hominib. reſpondit ſe neſcire, vt homo, quod vt Deus ſciuit, ſciuiſſe eum argumento eſt, quod tempora & momenta, ea in patris poteſtate ſolius eſſe ſciuerit, quod ſigna diei extremę deſcripſerit, quod rationē aduentus ſui, totumq; illum apparatum, & pompam, maieſtatis ſuę, cũ qua venturus eſt, explicauerit, quod nobis vtile ſcitu eſſet, indicauit, pręmia bonis, ſupplicia æterna malis demonſtrauit, vt & pręmiȷs ad pietatem nos excitaret, & ſupplicijs ab impietate & ſcelerib. reuocaret, hoc qđ vtile erat, nos ſcire voluit: diem illũ extremum quãdo eſſet, qđ nihil fructus inde caperemus, nos ignorare voluit. Poſtulabat turba ab eo ſignum de cœlo, cui reſpondit:

 ſcil-

ſe illi ſignum nullum daturum, præter ſignum Ionæ Prophetæ, qui triduo in vētre ceti fuiſſet, vt & ille in vētre ſepulchri futurus erat triduo, & tamen cum moritur, ſigna illa, quæ de cœlo poſtularent, Iudæis dedit, Solem obſcurauit, terram concuſſit, monumenta aperuit, negauit cùm immaturè poſcerent, cum curioſi eſſent, cum ea quæ illis neceſſaria diceret, negligerent, & ea quæ non opus eſſent, poſcerent. Satis enim ea, quæ in curandis ægrotis, mortuis excitandis, dæmonio eijciendo agebat, eum filium Dei eſſe teſtabantur, ſigno de cœlo, non erat id neceſſe probare, etenim lucente veritate comprobationes eius poſcere, eſt, Deum tentare, qui tentari ſe non patitur, & tentatus grauiter iraſcitur: at cum in morte videret, etiam fideles de ſua diuinitate, & quam confirmauerat veritate, dubitare, ſigna diuinitatis ſuæ & teſtes & in cœlo & in terra eſſe voluit Soli Lumen ademit, terram quam mundi ſapientia, etiam ipſos Deos mouere non poſſe aſſeuerat, concuſ-
ſit,

ſit, cur hoc non fecit turba petente? quia inutile eo tempore fore hoc ipſi turbæ iudicaret: cur moriens dat ſigna, quæ ſe daturum negaſſet? quod id vtile mundo & neceſſarium videret, poterat eo tempore cum à turba tētaretur, teſtem diuinitatis ſuæ producere Solem, poterat totam commouere terram, ſed noluit: ita cum interrogatur de die iudicij, ſciuit quidem & potuit dicere, ſed noluit, non potuiſſe, narratur, ſigna facere in Nazareth propter incredulitatem ciuium illorum, vnde Iudęi inferunt, omnipotentem non eſſe, cum quibus ne erraremus, Matthæus eum non feciſſe ait, propter incredulitatem eorũ, hoc eſt, noluiſſe infideles illos ſanare, præter paucos, qui crederent, non quod ingratis illis non poſſet ſigna oſtendere, ægrotos curare, ſed quod noluit ſine fide eorum id facere: fides enim noſtra cum voluntate eius concurrat neceſſe eſt: cum igitur Marcus ait, non poterat ibi virtutem vllam facere, accipi debet (non poterat) verbum, pro noluit, quod non crederēt:

itacum dicitur; neſciuit diem iudicij, dicendum eſt eum ſciuiſſe, ſed tamen quia non expeditbat id enunciari, eum noluiſſe. Fruſtrà igitur Francken nugatur, fruſtrà Chriſto oblatrat, neſcire ſe dixit, quia noluit, dixit humano more, dixit, vt homo inter homines, ita etiam dixit, cúrne vocas bonum? nemo bonus, niſi ſolus Deus, non quod non eſſet bonus, ſed quod ille qui bonum appellauit, eum Deum eſſe non crederet, quem vt ſe Deum agnoſceret, quem bonum eſſe & videret, & confiteretur, obiter admonet: nugatur etiam hic Francken, neſcio quid, de duobus in vna re principijs, vt ſuam iſtam importunitatem roboret, quaſi hoc non pro nobis militet contra ſuam temeritatem: duo principia in Chriſto ſunt, duæ naturę diuina & humana, duo genera operationum inde ſurgunt, alia eſt operatio eius humana, alia diuina, vt dixi, humanæ actionis principium eſt humanitas, diuinæ ipſe Deus, orationis eius humanæ natura eſt principium, remittendorum peccatorum, diuinitas,

tas, vt diſtinctæ ſunt naturæ & principia, ita diſtinctæ actiones: ignorare diem iudicij, hominis eſt; ſcire diem iudicij Dei eſt: vèrè igitur reſpondent Theologi, ignorare filium Dei, vt hominem diem iudicij, ſcire autem vt Deum, aliud principium eſt ſciendi, diuinitas ipſa, aliud ignorandi, humanitas. Quod igitur Chriſtum, & neſcire & ſcire diem iudicij dicimus, contradictionem quod vult Francken, non implicamus aſſertioni noſtræ: non ſunt ea aduerſa quæ ad diuerſa referuntur: neſcire humanitatis eſt, ſcire diuinitatis. Neque neceſſe eſt duobus principijs in vna re concluſis, vtriuſq; ſimul actionem concurrere, comedit corpus, non comedente intellectu, quieſcit corpus, non quieſcēte animo, qui eſt perennis motio. eſurit humanitas Chriſti, non eſurit diuinitas. Nihil igitur nos actiões duorū principiorum à Francken productorum impediunt, nihil cōtra nos faciunt, imò pro nobis ſtrenuè cōtra ei9 mendaciorū aciem pugnant, aduerſus quæ luctari amplius nolumus,

ſi quis

ſi quis volet in eius nugis obterendis abuti tempore & ingenio, illi lampada trademus, nos in Chriſto Ieſu filio Dei patris, æterno, vero & viuo mediatore noſtro, & in Spiritu ſancto, Deo vero & Domino viuificante, Francken anathema dicto, cui tamen pro charitate Chriſtiana bonam mentem precamur, acquieſcimus.

FINIS.

5-3-1